IOANNIS SERVILII

DE MIRANDIS ANTIQVORVM OPERIBUS, OPIBUS ET VETERIS ÆVI REBUS, PACE, BELLOQUE MAGNIFICE GESTIS. LIBRI TRES.

AD LADISLAVM VRSVLVM EQVITEM AVRATVM V. CLAR.

CVM INDICE.


QVIBVS ACCESSIT HIPPOLYTI A COLLIBVS Incrementa Vrbium: Sive de causis magnitudinis Vrbium, Liber Vnus, nunc primum in lucem editus.







Cum Gratia & Privilegio.



LUBECÆ

Ex officina typographica Laurentii Alberti Bibliopolæ.

ANNO CHRISTI M. DC.




CONTENTA.

LIB. I.


II.

III.





CLARISS. ET PRÆSTANTISS. VIRO D. LADISLAO VRSVLO, EQVITI aurato, Consuli Antverpiensi, Ioan. Servilius S. D.





CUM ARCANA NATURÆ DUCTU, AC NESCIO QUO genio incitante, in Principum favorem atque venerationem pronior fuerim semper, mirari satis nequeo, quo pacto nuper fluctuantibus clarissimis quibusdam Rebusp. tumultibus, atq; inauditis hactenus motib⁹, divinius quiddam atq; augustius sentire de eadem re cœperim. Nam qui antea vulgare quiddam atq; triviale Reip. regere gubernacula putaram· sensi quam sit paucorum, ac non nisi eorum quos æquus aspexit Jupiter officium. Quod enim videamus clarissimas Resp. atq; adeo florentissima regna, gravissimis motibus ac tempestatibus concuti labefactarique, tot fortunarum commutationes rerumq; omnium tumultus oriri quotidie (si quis rem verò judicii examine pensiculetur) deprædendet nihil adeo in culpa esse, quam quod civilium rerum administrationem cujuslibet esse hominis credamus: cum rerum gubernationi præesse omnium negotiorum humanorum longè sit maximum, & quod summam desideret prudentiam. Non enim simplex quædam aut communis imperandi regendique Remp. est ratio, neq; in genere de eo præcipi potest: sed quod in omni negotio spectandum præcipitur, hic maxime locum habet: ut quid locus, quid tempus, quid rei ratio postulet, consideremus. quæ res non tam præceptis philosophicis, quam prudentis cujuslibet præsidis consilio, usu, atq; exercitatione constat. Eadem enim præcepta in tanta ingeniorum, temporum, locorum, atq; adeo rerum mutatione, ac quasi μεταμόρφωσει quadam, qui citra gravem rerum humanarum ruinam cōsistere possint? ut nullum plane nobis admirationem mereri debeat videri, tot clarissimas Respubl. validissimas nationes, florentissima imperia generali illa præceptorum, quæ de gerendis rebus præcipiunt ratione, fuisse eversas olim, atq; etjamnum everti quotidie. Non enim quod quidam autumant generali quadam gubernandi ratione instructum esse oportet eum, qui rectè de rebus velit statuere, sed eam, quam partim ex disputatoriis, & ad contentionem paratis rationibus, partim ex civilibus, & de Rep. gubernanda præcipientibus legibus atq; institutis, tum ex quotidiano rerum usu collegit cognitionem atq; prudentiam, solerti quodam judicio pro temporum, locorum, ingeniorum, atq; rerum ratione

tione temperare. Ut enim solertis medici appellationem non meretur, qui omni corporis constitutioni, omni ætati, omni morbo, omni tempori eadem adhibet medicamenta, sic nec gubernatoris industrii nomine dignus erit, qui omni pedi eundem calceum (ut ajunt) studet inducere. Quare non possum non fœlicissimas eas habere regiones, quibus divino hoc civilis prudentiæ dono insignes principes, consules, atque senatus à diis immortalibus obtigerunt. Quod si cui sibi obvenisse hoc tepore licet jactitare regno aut Reip. certè Antverpiæ nostræ, qua toto orbe nullam quisquam opinor hac ætate florentiorem vidit usquam, licebit maximè.. Veterum fabulis proditum est, insigni quopiam munere à singulis diis olim quandam, cui donorum multitudo coacervata, Pandoræ nomen indidit honoratam: à Jove fœlicitatis munere percussam, à Pallade sapientiæ, à Mercurio solertiæ, atq; item ab aliis alio: quam rem non tam ineptè ac impiè quis crediderit: verum hæc nostra Pandora Antverpia, qua non fœlicitate, qua non venustate, quo non rerum successu ab eo, cui omne bonum donum referri debet acceptum, est insignita? Urbs est sive potius totius orbis theatrum amplissimum nobilitatis vetustate, loci situ, portuum opportunitate, ædium tam privatarum quam publicarum magnificentia super Garamantes & Indos nobilissima.. Non tam legibus Lacedæmonem Lycurgus muniit, Athenas Solonis æquitas, ac hæc sanctissimarum legum atque politiarum quasi aggere quopiam validissimo opsepta est atq; firmata: ut dubium non sit ejus potentiæ rerumq; successui perpetuo (quod & nominis omen certo pollicetur) aliquid iri adjectum, dum sint qui earum rerum habenas prudenter (quod fœlicissimis avibus inito L. Ursuli & F. Dilphii Consulatu illi obtigisse optimi quiq; ac sapientissimi meritò judicant,) noverint temperare. Eversa est potentissima illa Rom. imperii æmula Carthago: at cui rei id potius attribuetur, quam quod nimio militaris rei studio, sacrosanctarum legum, justitiæ, politicarum rerum cultum aut abjecerit aut neglexerit. Jacet & ingens Ilii poeticis carminibus decantatissimi gloria, & antiquam Tyri nobilissimi emporii fœlicitatem earundem rerum neglectus evertit. & potentissimam Romanæ urbis monarchiam fortuna simul & prudentiæ legumq; cultus deseruit. Ut taceam interim quod & nostra ætas vidit, clarissimas Resp. quorundam temeritate, ne dicam, an civilitate, gravissima ruina turpiter pessundatas: quod futurum non fuerat, si præsenti rerum statui civiliter aliquid donare, quam pertinaciter occurrere maluissent. Tantum in re-

in rebus humanis momenti habet (quod ſapientes quique præcipiunt) foro uti, temporiq; ſeſe cum induſtria quadam accommodare. Notum eſt ſuper ea re Phocylidis carmen. καιρῷ λατρεύειν, μὴτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι. Quam rerum moderationem, cum ditiſſimo Heroicarum virtutum numero, cum dii in te cumularint, quæ rectæ adminiſtrationis pars? quod boni prudentisq; viri officium merito in te poterit deſiderari? Non enim commemorare lubet vetuſtiſſimam Urſulæ gentis nobilitatem, clariſſimaq; majorum ſtemmata, non totius corporis prorſus Heroicam majeſtatem, ne aut affectibus duci vehementioribus, aut nimia rerum tuarum admiratione judicio errare videar. Admirari magis lubet, quæ omnibus ſano judicio præditis in te videntur maximè ſuſcipienda atq; exoſculanda: incredibilem morem ſvavitatem, nulli non expoſitam benignam atq; affabilem comitatem, ingenium mirè dextrum, rerum futuram prudentiam, nuſquam non ſibi præſcos judicium, in omni rerum genere eximium, prudentem, ac Neſtoream eloquentiam, ditiſſimo Hiſtoriarum pœnore ſic enutritam, ſic rationum, ſententiarumq; vibrantium oſſibus ac nervis compactam, ut ipſa quodammodo Eloquentia, Prudentia, rationumq; ſoliditas inter ſeſe certare videantur. His omnibus autem divinus ille tenaciſſimæ memoriæ Theſaurus, ingenii ſignum præcipuum ſic ſubſervit, ut neq; Cyro ejuſmodi naturæ dono clariſſimo, neq; Pontico illo rege Mithridate, qui duabus & viginti gentibus, quibus imperitabat ſine interprete jura dixit, eo nomine inferior debeas judicari. Ad hæc æquitatis ſtudium, quā juſtitiam vocant: virtus in iis qui præſunt ſumma ac ſingularis, ſic in te elucet atq; eminet, ut etjam cæteris omnibus naturæ dotibus, quibus à diis immortalibus ad prodigium uſq; exornatus es, deſtitutus, ſola hac, virtutum omnium periodum abſolviſſe videaris. Hanc qui habet, nulla virtute caſſus debet judicari. Conſtat enim illabefacta Ariſtotelis Philoſophorum facilè principis authoritas ἐν δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσαν ἀρετὴν ἔνι. Hoc eſt, in juſtitia nullum non virtutis genus contineri. Hæc omnia cum ſimul cum optimis quibuſq; ac prudentiſſimis, quorum non paucos noſtra hæc habet ANTVERPIA, tacitè in te agnoverim, ac exoſculatus ſemper fuerim, non potui mihi temperare, quin publico elogio idem aliquando facerem teſtatiſſimum, atq; inter tot undiquaq; his rebus tacitas congratulantium voces, ſolus ſumpta ex humanitate tua confidentia, in apertam ac liberam ſententiam prorũperem. Quanquam idipſum Caroli V. Imper. Rom. ſemper Auguſti
 ſuffra-

ſuffragium atq; calculus, dum & te, & Dilphum civitatis hujus noſtræ ornamenta præcipua, hujus tantæ urbis habenis gubernandis præponeret, feciſſe videatur. Qua quidem re, quid in terris, aut amplius, aut auguſtius poterit contingere? Non quod aut ambire te, aut etiam delectari publico hoc teſtimonio credam, quem non hominum laudibus, ſed ſola virtute, recteq; factorum conſcientia prudenter niti audiam: ſed ut gliſcenti indies in pectore ex virtutis tuæ admiratione amori, aliquando ſatisfacerem. Circumſpicienti itaq; mihi, atq; mentem quoquoverſus verſanti, qua ratione huic rei occurrere poſſem, cum verba quibus animi mei ſententiam & affectum aperirem, deeſſent, obtulit ſe commodum memoriæ, exemplorum quorundam ſylvula, quam olim in vetuſtatis commendationem ex probatiſſimis quibusq; authoribus, dum non paucos incircumſpectius de ea, & ſentientes & loquentes ferrem iniquius, congeſſeram. Viſum eſt munuſculum non quidem tua virtute atq; amplitudine dignum, ſed quale mihi per ætatem rerumque uſum dare, & quo utcunq; honeſtiſſimo animi motui morem gerere licuit. Iis enim muſteribus amabilem hanc tuam virtutem honoro, non quæ tu merebaris, ſed quæ ipſe præſtare potui. Non enim libet hic verbis munuſculi hujus dignitatem apud te ornare, quod non pauci maximo ſibi ſtudio habere ſolent, ut ne cum perſvaſiſſimum habeã ipſam C. T. ſummo in literis atq; hujuſcemodi argumenti rebus judicio præſtare, ſupervacaneam plane ſimul & inutilem operam mihi ſumere videar, & audiam quod in adagiis eſt σαυτὸν ἐπαινεῖς ὥσπερ ἀσυδάμας, neve dum mihi impenſius placeam, multis merito diſpliceam. Ergo qua poſſum veneratione atq; officio, per animi tui generoſitatem & dignitatem, per familiæ tuæ excellentiam, per omnigenas, quibus à diis propitiis ornatus es virtutes, precor, ut hanc δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε, & qua neq; accommodatius quid, neq; magis congruum dari poteſt, (cum optime conveniat ut Heroum geſta, Heroi, illuſtrium illuſtri, florentis ævi, magnificorumq; operum fœti, magnificentiſſimæ, clariſſimæq; urbis Conſuli dedicentur) in amoris affectuſque teſtimonium perpetuum benignè ſuſcipias, favoreq; quod à T. C. ſtudioſiſſimo adfertur, proſequaris. CHRISTUS Opt. Max. C. T. patriæ commodis diu ſervet incolumem. Antverpiæ Idib. Aprilis.

Index

INDEX RERVM ET MATERIARVM, QVÆ *in hoc opere tractantur.*

Mithri-

FINIS.

VETERIS ÆVI GESTORVM MEMORABILIVM LIBER PRIMVS.

DE PYRAMIDVM PRODIGIOSISSImis ſtructuris.

PRIMAM magnificentiſſima prodigioſiſſimaq; Pyramidum ſtructura, ocioſa pecuniarum oſtentatio laudem quaſi iure ſuo ſibi vſurpet. Appellantur autem Pyramides, quadratæ moles, flammarum in morem ſurgentes, nobiliſſima in Ægypto ædificia tantæ vaſtitatis vt in quaſdam earum, in cepas, allia, & caſeum talentum decem millia, & quingenta dicantur expenſa. Rationem excidendi atque ſtatuendi Pyramides docet Plinius hoc modo. Dicantur Pyramides in eadem Ægypto regum pecuniæ ocioſa ac ſtulta oſtentatio, ne pecuniam ſucceſſoribus, aut æmulis inſidiantibus præberent, aut ne plebs eſſet ocioſa. Quanquam mihi hunc circa eam inſaniam luxuriantes regum pecuniæ ſcopum præfixiſſe videantur, vt mirabilibus his ſtructurarum molibus, tãquam ſempiternis diuitiarum monumentis, opum ſuarum perpetuam in hominum animis memoriam relinquerent. Fuere quidem initio vilioris famæ atq; exiſtimationis: ſed paulatim effectum eſt, dum alter alteri magnificentiæ gloriam, maioribus educendis molibus conatur præripere, vt in eam vaſtitatem ſint euectæ, ne humanis manibus, ſed Deorum potentia, aut Gygantæis viribus quibus montibus montes mirabili roboris fiducia impoſitos in fabulis eſt excreuiſſe viderentur, effectumq; tandem vt inter clariſſima decantatiſſimaque orientis miracula ſacrari mererentur. In ſerie, ordine,

numero ac altitudine cuiusq; non futuri sumus curiosi, cum vltra quam numerari possint crebra sint horum miraculorum spectacula, vltraq; omnem celsitudinem quæ manu fieri posset fastigiata, etiam vmbrarum mensuram egressæ, veluti prærupta arduaq; tenebrosarum nubium procul adspicientibus impendere videantur. Ex eo autem altitudo cognoscetur quod ad radices molis positis cacumen quadraginta passuum amplitudine vix acus tenuitatem reddere videatur. His autem ne Græcorum fabulas vanitatemq; redolere credantur, nostro hoc tempore Petri Martyris in eas terras legati opera, fidem conciliauit.

DE CHEMMI REGE ÆGYPTIO.

IN hinc vetustatis laudem admirationemq; Chemmis Regis opulentia prima procedat. Huius opus totum ex Arabicis lapidicinis constabat, altitudine vltra iugera octo eductum, quatuor angulorum paribus interuallis distinctum, quorum quodlibet ab inferiori parte iugera septem continebat, ex lapide durissimo, difficillimoq; ad tractandum, sed æternum permansuro constans. Magnitudini operis trecenta sexaginta hominum milia annis viginti deputata fuere. Quanta autem fuerit operis vastitas hinc colliges, quod post trium milium quadringentorum annorum interualla, integrum inconcussumq; perstans stupore atq; terrifico quodam horrore etiam ipsius Diodori Siculi id spectantis oculos perstrinxerit.

DE CHABRÆO ÆGYPTIO REGE.

NEc sumptuosissima hac patris structura remoratus filius Chabræus, tanquam ex largissimis auri venis immensa opum vi scaturiente, simili honori studens, opulentia, structuræq; artificio ex æquo cum priore certantem erexit Pyramidem, vt quemadmodum imperii, ita & gloriæ magnificentiæq; paternæ hæreditatem adsumeret. Hanc ex patris opere

quili-

quilibet facile æſtimauerit. Euidentiſſimum immenſæ opulentiæ argumentum, & ἀέννaον καὶ ἐπίῤῥυτον ῥέειν τὸν χρυσόν, neq; diuites illas renaſcentis auri venas vlla prodigalitate exhauriri potuiſſe.

DE MYCERINO ÆGYPTIO REGE.

MYcerinus quoq; memoranda hac Pyramidum fama totum orbem diuitiarum admiratione impleuit, edocuitq; quantum priorum regum inſanis ſumptibus opes fuerint labefactatæ, qui eo maximæ nomine locupletiſſimam gloriam eſt adſecutus, quod priorum regum ſumptibus, omnibus exhauſtis regni eius terris, tam vaſtum ſtructuræ opus, aut animo concipere, aut ſumptibus circumſcribere non ſit veritus. Erant ſingula latera iugerum trium ex eodem quo reliquæ Pyramides lapide, niſi quod nigro à fundamentis ad quindecim cubitos conſurrexerint. Quid dicam? neq, ſumptu, neq; altitudine, neque artificio reliquis futura erat inferior, ni intempeſtiua præcoxq; fati neceſſitas, pulcherrimos magnificentiſſimosque conatus interuentu ſuo dirupiſſet.

DE TRIBVS ALIIS PYRAMIDIBVS A SINGVLIS *regibus prædictis, vxorum nomini atq; ſepulturæ conſecratis.*

MAgnitudine rerum hactenus geſtarum cuius merito non obſtupeſcat animus? Vlterius tamen itum eſt ab iiſdem quos trium prædictarum Pyramidum autores commemoraui. Non contenti enim hucuſq; profuſionis habenas laxaſſe, nec priorum operum ſumptu territi, nec opum diffidentia remorati, ſinguli ſingulis quas duxerant vxoribus, Pyramidum moles, opus artificio ſtructuraq; cum prioribus pari, omnia omnium Ægyptiorum ædificia excedens, euexere. In quibus non tam regum impendia, quam architectorum ingenia & artem admireris. Quanquam tertiam minimum quidem illam, ſed

laudatiſſimam à Rhodope meretricula, Æſopi fabularum Philoſophi conſerua, meretricio quæſtu opibus conquiſitis, maximo miraculo conſtructam, Plinii ſecundi Hiſtoria adſerat.

De Pyramide duodecim Ægypti regum communi ſepulcro.

SAbbacus rex deorum cultui præ cæteris omnibus deditiſſimus, cum ſacrilegio, ſacerdotumq; cæde inuaſum imperium obtinere detrectaret, (nam niſi per cæſorum cadauera ſacerdotum, viam ſibi in cedendo aperiret, nocturna viſa illi imperium derogabant) cumq; depoſitis regni inſignibus ad patrios fines remeans, turbatum Reip. regniq; ſtatum reliquiſſet, in duodecim Ægyptios totius regni curæ transferendæ ſubditis occaſionem dedit. Qui cum animis maximè concordibus, conſentientibuſq; quindecim annos regnum adminiſtraſſent, ſuperiorum omnium regum gloriam, ſuperbiſſimi operis oſtẽtatione ſuperare conantes, Pyramidem, præcioſiſſimo lapide conſpicuam, quadratam, quoquouerſus vltra ſtadium protenſam, ſculpturæ artificio, operiſque magnificentia, nullis ante conſtructis cedentem ædificarunt, vt quos regni conſenſus, imperijq; gubernacula, concordi amicitia iunxiſſent, eoſdem & fati neceſſitas, communiſq; ſepulturæ honor coniungerent. Quid multa? Conati ſunt hac omnium ante regum gloriam obſcurare. Et ni præmatura horum diſſenſio opus iam cœptũ interrupiſſet, opere, ſumptu, artificio, cæteras omnes ſuperatas, obſcuriori fama gloriaq; celebrari effeciſſent, & ſuperare docuiſſent, quibus ante nil magnificentius conſtrui poſſe videbatur.

DE VETERVM PORTENTOSI OPERIS OBELISCIS.

De Semiramide.

PYRAMIDVM narratio, ſimilis ſtructuræ obeliſcorum memoriam nobis ſubiicit, quorum opera quoq; inter clariſſima or-

ma orbis miracula annotantur. Quid autem sint obelisci, cuiusq; rei gratia inuenti constitutiq; sint, commodius Marcellinus explicuerit, quem loquentem audiamus. In vrbe Roma (inquit) intra labra ingentia diuersasq; moles figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes, Obeliscos videmus plures, aliosq; iacentes, & comminutos, quos antiqui reges, bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis, vel apud extremos orbis incolas perscrutantes excisos, erectos diis superis in religione dicarunt. Estque asperrimus lapis in figuram metæ cuiusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, vtq; radium imitetur gracilescens paulatim specie quadrata, in verticem productus angustum, manu leuigatus artifici. Primus autem Ægyptiorum rex Methres hos instituit, qui cum ignobiliori sit fama & rerum gestarum gloria, neq; multum laudis vetustati sit additurus, patietur primam huius rei gloriam Semiramidi Assyriorum regis Nini vxori attribui. Hæc ex Armeniorum montibus Obeliscum excisum, ad centum quinquaginta pedum mensuram porrectum, latitudine circa imas radices ad viginti quatuor pedes se protendente deuexit, paulatim vt dictum est excrescente longitudine, latitudine se in arctum ita constringente, vt cum longitudine latitudo paulatim decrescat. Opus laboriosissimum excisu, sed quod in deuehendo non parum plus difficultatis laborisq; exhibuerit. Curribus innumeris per immensa locorum interualla, montium asperas crepidines, vallium horrendos hiatus delatum, Euphrates flumen excepit, fideliq; alueo concreditum Babyloniæ reddidit. Cuius quæ maior gloria, quàm quod in vrbis celeberrimo loco eductum septem toto orbe clarissimorum operum numero, structuræ monstrositate meruerit annumerari.

De Obelisco Thebis consecrato.

QVin & Thebæ istiusmodi insigni vetustatis monimento

laudatissimam à Rhodope meretricula, Æsopi fabularum Philosophi conserua, meretricio quæstu opibus conquisitis, maximo miraculo constructam, Plinii secundi Historia adserat.

De Pyramide duodecim Ægypti regum communi sepulcro.

SAbbacus rex deorum cultui præ cæteris omnibus deditissimus, cum sacrilegio, sacerdotumq; cæde inuasum imperium obtinere detrectaret, (nam nisi per cæsorum cadauera sacerdotum, viam sibi in cedendo aperiret, nocturna visa illi imperium derogabant) cumq; depositis regni insignibus ad patrios fines remeans, turbatum Reip. regniq; statum reliquisset, in duodecim Ægyptios totius regni curæ transferendæ subditis occasionem dedit. Qui cum animis maximè concordibus, consentientibusq; quindecim annos regnum administrassent, superiorum omnium regum gloriam, superbissimi operis ostétatione superare conantes, Pyramidem, preciosissimo lapide conspicuam, quadratam, quoquouersus vltra stadium protensam, sculpturæ artificio, operisque magnificentia, nullis ante constructis cedentem ædificarunt, vt quos regni consensus, imperijq; gubernacula, concordi amicitia iunxissent, eosdem & fati necessitas, communisq, sepulturæ honor coniungerent. Quid multa? Conati sunt hac omnium ante regum gloriam obscurare. Et ni præmatura horum dissensio opus iam cœptú interrupisset, opere, sumptu, artificio, cæteras omnes superatas, obscuriori fama gloriaq; celebrari effecissent, & superare docuissent, quibus ante nil magnificentius construi posse videbatur.

DE VETERVM PORTENTOSI OPERIS OBELISCIS.

De Semiramide.

PYRAMIDVM narratio, similis structuræ obeliscorum memoriam nobis subiicit, quorum opera quoq; inter clarissima or-

ma orbis miracula annotantur. Quid autem sint obelisci, cuiusq; rei gratia inuenti constitutiq; sint, commodius Marcellinus explicuerit, quem loquentem audiamus. In vrbe Roma (inquit) intra labra ingentia diuersasq; moles figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes, Obeliscos videmus plures, aliosq; iacentes, & comminutos, quos antiqui reges, bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis, vel apud extremos orbis incolas perscrutantes excisos, erectos diis superis in religione dicarunt. Estque asperrimus lapis in figuram metæ cuiusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, vtq; radium imitetur gracilescens paulatim specie quadrata, in verticem productus angustum, manu leuigatus artifici. Primus autem Ægyptiorum rex Methres hos instituit, qui cum ignobiliori sit fama & rerum gestarum gloria, neq; multum laudis vetustati sit additurus, patietur primam huius rei gloriam Semiramidi Assyriorum regis Nini vxori attribui. Hæc ex Armeniorum montibus Obeliscum excisum, ad centum quinquaginta pedum mensuram porrectum, latitudine circa imas radices ad viginti quatuor pedes se protendente deuexit, paulatim vt dictum est excrescente longitudine, latitudine se in arctum ita constringente, vt cum longitudine latitudo paulatim decrescat. Opus laboriosissimum excisu, sed quod in deuehendo non parum plus difficultatis laborisq; exhibuerit. Curribus innumeris per immensa locorum interualla, montium asperas crepidines, vallium horrendos hiatus delatum, Euphrates flumen excepit, fideliq; alueo concreditum Babyloniæ reddidit. Cuius quæ maior gloria, quàm quod in vrbis celeberrimo loco eductum septem toto orbe clarissimorum operum numero, structuræ monstrositate meruerit annumerari.

De Obelisco Thebis consecrato.

QVin & Thebæ istiusmodi insigni vetustatis monimento

claræ extitere. Ad hoc opus montibus excidendum viginti hominum milia deputata dicuntur. Tantæ autem fuit vastitatis altitudinisq́; , vt rex id subiecturus cum vereretur ne non machinæ quibus in altum educebatur, ponderi sufficerent educendo, quo maius periculum artificum indiligentiæ denunciaret, filium cacumini alligarit, insanaq́; molis erigendæ cupiditate, filii vitam sacrilegio quodam, periculo prostituerit, vt eius laboris studio diligentiori cura Obeliscus, inconuulsus, nullaq́; ex parte labefactatus erigeretur. Insigne magnificentiæ huius Argumentum, Cambysis regis furorem, quo splendidissima vrbs in cineres liquescebat, cruentas, incendiisq́; imbutas manus, pulcherrimo operi pepercisse. Nec hunc tamen. Habuit enim & alios duos, alterum à Smairo positum, alterum 48. cubitorum Eraphii opus.

De Ptolomæo Philadelpho.

HVius laudis hæreditatem sibi Ptolomæus Philadelphus, clarissimis magnificentiæ suæ insignibus, Alexandriæ positis Obeliscis vendicauit. Hic octoginta cubitos longitudine exæquabat, quem Nectabis rex purum exciderat, tantæ molis vt aliquando maior in statuendo quam excidendo labor fuerit. Quanquam Satyri architecti ingenio maior difficultatis pars sit euicta. E Nilo enim ad montium loca amplissima deducebatur fossa, qua ratibus duabus in latitudinem patulis mirabili artificio deportabatur, tanta difficultate, vt ob operis laborem, deuehendiq́; artificium, architectus quinquaginta lentis, præter operæ eius designatum premiū donatus abierit.

De Pherone Ægyptio.

TE quoq; huius gloriæ communione dignissimum, Pheron memoria complector, qui patris Sesostris defuncti cæcitatem, occulto naturæ sensu in te acceptam, magnifico hac obelorum mole expiasti. Cum enim responsum redditum esset,

placa-

placato eius Dei numine qui Heliopoli coleretur, vrinaq; mulieris quæ coniugii fœdus ſanctum, illibatumq; coluiſſet adhibita, abſolutiſſimo oculos fruiturum officio expertus multarum, præcipue propriæ vxoris vrinam, cum oculorum vitium ratum perſiſteret, tandem hortulani cuiuſdam vxoris caſtitate, oculis cum tenebræ fugatæ, luxq; eſſet reddita, Dei beneficium cuius monitu oculorum aciem receperas, duobus ingentibus Obelorum ſaxis, omnis ætatis memoria digniſſimis, latitudinis octo, altitudinis cubitorum centum rependiſti. O ſtupendæ prodigalitatis opus, quo etiam deorum meritis te parem fore credidiſti.

DE AVGVSTO CÆSARE.

HVnc exterorum luxum & Roma ne quid magni in ſe deſiderari poſſet, neue cuiuſquam quod magnificum iudicarat, expers facti eſſet, & ſi non vniuerſum, ex parte tamen eſt imitata. Neq; enim vt veterum labor, excidendi moleſtia, neq; apud extremos orbis incolas, in ſummorum montium iugis ſcrutandi angebatur difficultate, ſed quos inexhauſtus priſcorum regum luxus, bello domitis gẽtibus, aut fœliciter magnarum rerum cœptis tranſactis, diis ſuperis dicarunt, euulſos tantum ad vrbem ſuam tranſtulerunt. Cuius quidem gloriæ communionem primus Auguſtus ſibi vſurpauit. Inter Romanos enim Obeliſcos, ſingulare memoriæ elogium merebitur, qui ex Alexandriæ portu, miraculi gratia aduectus Puteolos, ibiq; conſecratus per tenebras ignibus oſtenſis nocturnos nautarum curſus dirigebat. Eſt & alterius cuiuſdam fama per gentes nationesq; ſparſa, quem ſiue Dei reuerentia, cuius nomini dicatus fixusq; ſteterat, ſiue quod vereſimilius, operis magnificentia territus, nec mouere, nec contrectare etiam Auguſtus dicitur auſus. Quem Conſtantinus poſt neglecta Dei religione, operiſq; difficultate magnanimo pectoris robore ſuperata

per

per nili alueum Alexandriam deuexit. Cum interim parandis machinamentis, nauiq; admirandæ magnitudinis, moli deuehendæ ardentissimo studio nauatur opera, principis morte (ita vt fit) omnium ardor elanguit. Tandem tamen impositus ad id fabricatæ naui, per Maria, Tyberisq; fluenta inusitatæ molis pondere obstupescentia, in vicum Alexandri tertio ad vrbe lapide, seiunctum infertur. Hinc lapsibus impositus volubilibus, promotusq; leuius, per Hostiensem portam Circo illatus est maximo. Sola post deuehendi, perq; terras trahendi labores restabat erectio, quæ cum fieri posse humanis viribus desperaretur, inculto hominum robori temperata industria, erectionis spem iniecit. Pars trabes paulum erectas, quarum densitas nemorum referebat figuram, subtexunt. Pars vastos innectit culmini funes, pars machinas subiicit, deniq; quod ait ille, opere omnis semita seruet. Quanta (dii immortales) molis vastitas quam post maris tyberisq; vndas superatas, in altum educi posse desperatum est. Hic etiamnum reperitur iacens in naumachia obrutus tellure, centum triginta pedum, præter basim, Cæterum vberior reip. Romanæ huius magnificentiæ gloria contigit. Secutæ enim ætates & alios transtulerunt quorum vnius structura Martium quem vocant campum gloria illustrauit. Alterius cuiusdam miraculo, Salustianis hortis decus est additum. Quin & Augusti monumentum, duobus huius structuræ molibus, multam vetustati gloriam conciliauit. Habuit & Vaticanum huiusce operis insigne sumptuosissimum ab Sesostridis filio Nuncoreo excisum, cuius etiam ad nostra hæc tempora vsq; visentibus apparere manifesta vestigia, ii quibus res experientia patuit, scriptum reliquere.

DE VRBIS ROMÆ THEATRIS.

AVFERT animum Theatrorum prodigiosissimum humani ingenii ædificium, inter mira memorandaq; non infimo dignum

dignum commemorationis honore. Sed priuſquam de ipſo agamus, pauca quædam prælibanda ſunt, vt quid ſit Amphitheatrum, & cuius rei gratia extructum, intelligatur. Theatrum igitur à Græca trahitur etymologia, dicitur enim ἀπὸ τοῦ θέομαι, quod eſt ſpecto, & habet hemicycli formam. Amphitheatrum autem haud dubie appellatum ἀπὸ τοῦ ἀμφί καὶ θέομαι, quod eſt circumſpecto, quaſi in vnum iuncta duo viſoria. Amphitheatrum primum omnium Titum inueniſſe Caſſiodorus eſt author. Eius hæc ſunt verba. Hoc Titi principis potentia diuitiarum profuſo flumine excogitauit ædificiú fieri, & cum Theatrum Hemiſphærium Græcè dicatur, Amphiteatrum, quaſi in vnum iuncta duo viſoria, rectè conſtat eſſe nominatum, quod ſpeciem eius arena concludat, & vt currentibus aptum daretur ſpatium, & ſpectantes omnia facilius viderent, dum quædam prolixe rotunditas vniuerſa collegerat. Horum autem hanc tradit Originem idem Caſſiodorus, quem ſuper hac quoq. re audiamus. Cum agricultores feriatis diebus ſacra diuerſis numinibus per lucos vicoſq; celebrarent Athenienſes primum agreſte principium in vrbanum ſpectaculum collegerunt. Theatrum Græco vocabulo viſorium appellantes, quod eminus adſtans turba conueniens, ſine aliquo impedimento videatur. Et infra Ritus Romani ſicut cætera externa ad ſuam remp. non inutiliter trahentes, ædificium alta cogitatione conceptum magnanimitate mirabili condiderunt.

DE M. SCAVRO.

EXcellentiſſimi ſpiritus, laudatiſſimæq; in huius rei ſtructuris magnanimitatis gloriam ſibi M. Scaurus vendicat, cui primam huius gloriæ laudem inuiolabilis Plinii autoritas magnifica hac verborum commemoratione tribuit. Marcus Scaurus (inquiens) in ſua ædilitate fecit opus maximum omnium, quæ vnquam fuere humana manu facta, non tempo-

raria mora, verum æternitatis destinatione Fuit autem scenæ triplicis, trecentorum sexaginta columnarum. Pars inferior scenæ de marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam post genere luxuriæ. Summæ columnæ imæ duodequadragenum pedum, tabulis inauratis. Cauea ipsa cœpit hominum octoginta milia. Signa ærea inter columnas fuerunt tria milia numero. Opus vix humani ingenii cogitatione circumscribendum.

De C. Curione.

HVnc tamen luxum cui nullum insaniæ genus par videri potuit. C. Curio, qui bello ciuili in Cæsarianis partibus obiit, ingenio superare contendens, in funebri patris munere theatra duo iuxta fecit amplissima è ligno arcelino, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus vtrisq; antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter se auersis ne inuicem obstreperent scenæ, & repente circumactis vt contra starent: postrema iam die discedente tabulis & cornibus inter se coeuntibus faciebat amphitheatrum & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magistratum populumque Romanum circumferens. Quid miretur quis in hoc primum, inuentorem an inuentum? artificem an authorem? ausum cogitare aliquem hoc an suscipere? parere an iubere? Hæc tamen omnia Curio neq; rex, aut gentium imperator, non opibus insignis, vtì qui nihil in censu præter discordiam principum habuerit.

De Pompeio Magno.

QVis hic gloriæ tuæ famam sine summa inuidentiæ nota transiliat? cum præcipuam in huius operis genere laudem diuitiæ tuæ sibi vendicauerint, qui mansura Theatri sede posita, ne singulis annis pro cuiusq; victoris libidine erigendorum struendorumq; theatrorum molestia magistratus laboraret, vanisq; huius luxus sumptibus ne quotannis reip. vires effetæ exhaurirentur, perpetuum fama nomẽ ad posteros transmisisti?

miſiſti? Cuius quanta fuerit vaſtitas Neronis inſtitutum ſatis edocet, qui Germanorum legatis regni ſui vires oſtentare cupiens, publicis ludis ad certum diem populum, quem ſigillatim viritimq; percenſere infiniti propemodum operis fuerat, in hoc convocatum, caueæq; eius quaſi gremio comprehenſum auidorum ſubiecit oculis. Quid non efficiant inexhauſtæ Rom. opulentiæ vires, quæ eas erexere moles, quas vetuſtatis invidia labefactari potuiſſe obſtupeſcimus, eaſq; ea temperarunt arte, vt nihil factitium, ſed omnia viva viderentur, quando ſic tecta cautibus fuerit, vt præter artem additam & ipſa quoque naturalis ſit viſa. Cauea ſaxis pendentibus abſidatis, iuncturis abſconditis in formas pulcherrimas conuenerat, ut cryptas magis excelſi montis, quàm aliud humanis manibus credas fabricatum. Hæc gloriæ potentiæq; monumenta quos magis quàm Romanos decuerunt, vt qui imperio opibuſque omnium gentium ſuperabant imperia, prodigioſiſſimis quoq; ea artis humanæ ſtructuris antecederent.

De Auguſto Cæſare.

AB eo qui Argillaceam vrbem, lateritiam ſumptibus ſuis fecerat, infinitis præterea, iiſdemq; clariſſimis ornamentis eandem illuſtrauerat, theatrum maximum pulcherrimumque opus octoginta hominum milium capax conſtructum, miraculi quoque habendum loco quis negauerit. Ego te licet id ſub Marcelli nepotis ex ſorore Octauia nomine, vt pleraque alia ſub alieno, conditum ſit nomine, memoria complector, omnemq; huius laudis gloriam tibi tribuo. Huius etiam adhæc noſtra vſq; tempora pars licet vetuſtate, igneq; corrupta, inter Capitolium & Tyberim cernitur.

De Nerone Cæſare.

DIſſimile ex parte exemplum, ne Titulorum numerus in infinitum excreſcat his ſubiungendum duximus, indigniſſimum

raria mora, verum æternitatis destinatione Fuit autem scenæ triplicis, trecentorum sexaginta columnarum. Pars inferior scenæ de marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam post genere luxuriæ. Summæ columnæ imæ duodequadragenum pedum, tabulis inauratis. Cauea ipsa cœpit hominum octoginta milia. Signa ærea inter columnas fuerunt tria milia numero. Opus vix humani ingenii cogitatione circumscribendum.

De C. Curione.

HVnc tamen luxum cui nullum insaniæ genus par videri potuit. C. Curio, qui bello ciuili in Cæsarianis partibus obiit, ingenio superare contendens, in funebri patris munere theatra duo iuxta fecit amplissima è ligno arcelino, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus vtrisq; antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter se auersis ne inuicem obstreperent scenæ, & repente circumactis vt contra starent: postrema iam die discedente tabulis & cornibus inter se coeuntibus faciebat amphitheatrum & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magistratum populumque Romanum circumferens. Quid miretur quis in hoc primum, inuentorem an inuentum? artificem an authorem? ausum cogitare aliquem hoc an suscipere? parere an iubere? Hæc tamen omnia Curio neq; rex, aut gentium imperator, non opibus insignis, vt qui nihil in censu præter discordiam principum habuerit.

De Pompeio Magno.

QVis hic gloriæ tuæ famam sine summa inuidentiæ nota transiliat? cum præcipuam in huius operis genere laudem diuitiæ tuæ sibi vendicauerint, qui mansura Theatri sede posita, ne singulis annis pro cuiusq; victoris libidine erigendorum struendorumq; theatrorum molestia magistratus laboraret, vanisq; huius luxus sumptibus ne quotannis reip. vires effetæ exhaurirentur, perpetuum fama nomé ad posteros transmisisti?

misisti? Cuius quanta fuerit vastitas Neronis institutum satis edocet, qui Germanorum legatis regni sui vires ostentare cupiens, publicis ludis ad certum diem populum, quem sigillatim viritimq; percensere infiniti propemodum operis fuerat, in hoc convocatum, caueaeq; eius quasi gremio comprehensum auidorum subiecit oculis. Quid non efficiant inexhaustae Rom. opulentiae vires, quae eas erexere moles, quas vetustatis invidia labefactari potuisse obstupescimus, easq; ea temperarunt arte, vt nihil factitium, sed omnia viva viderentur, quando sic tecta cautibus fuerit, vt praeter artem additam & ipsa quoque naturalis sit visa. Cauea saxis pendentibus absidatis, iuncturis absconditis in formas pulcherrimas conuenerat, ut cryptas magis excelsi montis, quàm aliud humanis manibus credas fabricatum. Haec gloriae potentiaeq; monumenta quos magis quàm Romanos decuerunt, vt qui imperio opibusque omnium gentium superabant imperia, prodigiosissimis quoq; ea artis humanae structuris antecederent.

De Augusto Caesare.

AB eo qui Argillaceam vrbem, lateritiam sumptibus suis fecerat, infinitis praeterea, iisdemq; clarissimis ornamentis eandem illustrauerat, theatrum maximum pulcherrimumque opus octoginta hominum milium capax constructum, miraculi quoque habendum loco quis negauerit. Ego te licet id sub Marcelli nepotis ex sorore Octauia nomine, vt pleraque alia sub alieno, conditum sit nomine, memoria complector, omnemq; huius laudis gloriam tibi tribuo. Huius etiam adhaec nostra vsq; tempora pars licet vetustate, igneq; corrupta, inter Capitolium & Tyberim cernitur.

De Nerone Caesare.

DIssimile ex parte exemplum, ne Titulorum numerus in infinitum excrescat his subiungendum duximus, indignissimum

rati, huius facti claritudinem, quæ summum quoq; diuitiarum ornamentum priori conciliat ætati, sua laude defraudari. Cupiens profusissimus princeps Tyridatis Armeniorum regis oculos nouo atq; insolito profusionis luctu perstringere, vnius diei opera amplissimum hoc Theatri opus auro obduxit, & quo ante ad populi multitudinem Germanis ostendendam fuerat vsus, nunc ad regni opes indicandas aureis laminis texit. sic compendio quodam potentiám opulentiamq; vrbis Theatri vastitas exteris prodidit, O Imperium viris opibusq; florentissimũ.

DE PORTENTOSIS LABYRINTHORVM STRVCTVRIS.

HANC antiqui æui magnificentiam Labyrinthi portentosissimum humani ingenij opus excipiat, quorũ memoria vt iam memoratis operibus ætate prior, sic hoc infinita gloriæ fama latissimè per omnium gentium oras non intermoritura memoriæ buccina detonat. Quod quantum vetustatem quoq; non modica laude ornaturum videtur operis nostri mellificio adiungendum putaui.

De Ægyptio Labyrintho.

ET Ægyptius vt ædificandi ordine prior extitit, sic priorem quoq; narrationis locum sibi obtinebit. Ac sanè quidem cum de huius conditore, summa controuersia doctorum ingenia grauissimis scrupulis torserit, difficile planè fuerit quis in eam insaniam primo animo volutatam eruperit, certa opinione in tanta sententiarum varietate literis prodire.

Quare quæ parum ad magnificentiæ huius commendationem attinent omissis, veterum vestigijs insistentes, quæ verissima videbuntur, atq; ad institutum cursum pertinebunt maximè scribemus. Opus fuit hoc Labyrinthi ædificium, omnium propemodum, quæ ingenio, manuque humana facta sunt, tum ob magnitudinem, plus quam humanam tum ob artificiosissimam.

mam ſtructuræ in imitabilisq; artificij ingenium maximè mirandum. Duodecim aulis tecto opertis, portis altrinſecus oppoſitis inſignè, quarum ſex contiguæ aquilonem, totidem auſtrum ſpectabant, quas portarum propemodum innumeræ moles ad cælum vſq; eductæ, murusque continuus obſepiebat. Domicilia habebat partim ſub terras tendentia, partim terræ ſolo impoſita, vtriuſq; loci tria milia quingenta. Nec vana in ijs fides, cum ſcriptorum ipſorum qui eum nobis depinxere diligentia, curioſitasq; non fama auditioneq; tantum, ſed & oculis huius rei miraculum perluſtrauerit: quanquam ſubterraneorum aſpectu, religionis metu abſtinere ſint prohibiti, ita vt hic ſacerdotum eius loci præſidum fidei, aut aſſenturi, aut omnino magnificentiſſimæ rei cognitione carere ſit neceſſe. Superiora autem vt duxi monſtroſiſſimis ſtructuris oculos mentemq; ipſorum ſcriptorum perſtrinxerunt. Aulæ, quas ſupra nominaui, ad conclauia. hæc rurſus ad cubicula tranſitum præbebant, è quibus egreſſos ſolaria excipiebant, indefeſſo ſtructurarum ordine, errore inextricabili exitum ingreſſis negantia. Eundo perluſtrandoq; iam feſſos, pluribusq; emenſis cœnaculis porticibuſq; ad nonagenos vſq; gradus elatis, inexplicabilis ille viarum error, crebris itinerum ambagibus, occurſibus, recurſibusq; meatuum, perpetuo oſtiorum ordine ſuccedente, hominum animos ludens excipit. Præter hæc omnia, denſiſſimæ Pyramidum moles ipſius molis angulos obſepiebant. Sed præſtat hæc cuiuſq; cogitationi relinquere, ne ſi nimia laude à nobis celebrentur, vani, ſi minore quàm pro merito, magnificentiæ operis detrahere videamur. Quid futurum ſit denique ſi his monſtris monſtroſiora laborem addere, cum in ijs quæ hactenus ſunt dicta vix fidem ſim inventurus. Hoc tamen interim dicam. Tantas veterum opes tantamque potentiam extitiſſe, vt quæ illi his rebus freti profuſiſſime deſignarunt, nos vix animo fideq; capere poſſimus.

De Labyrintho Cretensi.

SEcundus ab Ægyptio Cretensis fuit, quem Dedalus prioris admiratus tum amplitudinem, tum artificium in Creta erexit, non vt quemadmodum prioris author, vesana aut artis, aut diuitiarum ostentatione se efferret: sed vt informe illud Poetis decantatum monstrum, inexplicabili viarum errore retineret. Hic centesimam tantum Ægyptij partem, continebat, quippe eam quæ itinerum ambages, occursus ac recursus viarum inexplicabiles complectebatur. Ægyptios enim præter Pyramidum creberrima miracula, aularum solariorumq; frequentiam, multò ad structuræ ornamentum portentosissima habuit, Huius autem Labyrinthi structura nuda, nullisq; super vacuis sumptibus onerata, nisi quod dolosas illas ambages, inextricabilemq; Ægyptij errorem repræsentarit. Polito lapide tecti fornices concinnatiq;. Ipsum opus milia passuum amplius ambulationis continens, ita inter se recursibus occursibusq; viarum inuolutis perplexisq;, vt & ipse structuræ architectus memoriæ diffidens, cum penitiora eius Thesco comite ad abolendum infame illud minotauri monstrum non nisi primi introitus limini filo annexo, quo vestigia regeret quo ex profũdissimo barathro in superas emergeret auras, cum penetrare sit ausus, Et hunc quãquam citissime eius abolita sint vestigia, perpetuo gloriæ decore honorari non inuidebimus.

De Labyrintho Lemnio.

LEmnij Labyrinthi cum parcissimè authores meminerint, quod ad reliquorum formam ad quorum exemplar constructus erat, exigi posse videretur, nos quoq; in eius descriptione, non anxiam admodum ponemus operam: præsertim cùm nihil (quod equidem meminerim) præter cæterorum amplitudinem eximij habeat. Quare eius memoria contenti, ad cæterorum exemplaria, eos qui sagaci anxiaque cura cuiusuis perfectam efflagitant descriptionem ablegabimus. DE

DE ITALICO LABYRINTHO PROSENNÆ HETRVSEORVM REGIS SEPVLCHRO.

ITALICVM autem monſtroſiſſimo opere nulli omnium cedentem, quis indictum pertranſierit? Senſit enim & Italia dulcem illam gloriæ nominiſque propagandi titillationem, barbaricisq; regum nationumq; opibus, regum nationumq; omnium domitrix ſe ſuperari puduit. Huius cum ſtructuræ inſania omnem omnium fabuloſitatem ſuperare videatur, vtemur M. Varronis verbis, quæ ſimul & pleniorem rei fidem conciliabunt, ſimul & nos ab omni vanitatis fabularumq; praua ſuſpitione abſoluerint. Sepultus eſt (inquit) Porſenna rex Hetruriæ ſub orbe Cluſio, in quo loco monimentum reliquit lapide quadrato. Singula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum. Inq; baſi quadrata intus Labyrinthum inextricabilem, quo ſi quis improperet, ſine glomere lini exitum inuenire nequeat. Supra id quadratum Pyramides ſtant quinq;. Quatuor in angulis, & in medio vna. In vno latæ pedum ſeptuagenûm quinûm, altæ centum quinquagenûm ita faſtigiatæ vt in ſummo orbis æneus & pegaſus vnus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta cathenis tintinabula, quæ vento agitata longe ſonitus referant, vt Dodonæ olim factum. Supra quem orbem æneum, quatuor Pyramides inſuper ſingulæ extant, altæ pedum centenum. Supra quas vno ſolo quinq; rurſus Pyramides quarum altitudinem Varronem adijcere puduit. Fabulæ Hetruſcæ tradunt tamen, æquali fuiſſe altitudinem cum toto opere. Quid dicam? O inconcuſſas regni vires quas tantæ molis impendiũ non labefactarit. Sed & hic tanquam dijs inuidioſus præmaturo concidit exitio.

De ſumptuoſiſſimo Simandij Ægyptiorum regis ſepulchro.

DIuerſi quidem tituli, ſed rei propemodum eiuſdem exemplum

plum subijciemus. Ex quadraginta & eò amplius quibus clara nobilisq; olim fuit Ægyptus monumentis, solius Simandij regis sepulchrum, quod cum ob claritudinem præter cætera omnia maximè scriptorum opera enituerit, operæ precium facere visi sumus, si dispositionis huius structuræ attexamus. Cuius si magnitudinem vastitatemq; perpendas, quas statues manus, quibus tam vasta moles educi potuerit. Si artificium spectes, nihil ingeniosus magnificentiusq́, humana industria cogitari posse fatearis erit necesse. Circuitu decem stadiorum mensuram complectebatur. In faucibus porta longitudine duo iugera, altitudine quinq; & quadraginta exequabat cubitos. De hinc ingressis obuium se ferebat lapideum peristylum quadratum, cuius singula latera quatuor iugerum mensuram æquabant. Hoc autem animalia varia ex vnico lapide sexdecim cubitorum exsculpta, sibi innitens sustinebant. Hoc prætergressos alia rursus porta, prioris similitudinem, forma & magnitudine per omnia referens (nisi quod largiore ornata erat sculptura) excipiebat. Ingressum huius statuæ tres seruabant magnitudine admirabili, vnici lapidis. Quarum vnius sedentis pedes ad septem excrescebant cubitos. Post hanc portam & aliud erat peristylum, sculpturam arte superiore etiam magnificentius, quæ mirando artificis ingenio regis vitæ transactę quasi summam inspectantium objiciebat oculis. Non procul hinc domus erat columnis suspensa, cuius quodlibet latus iugera duo complectebatur. Hic sumptuosissimum regij cineris receptaculum monumentum, præter summum materiæ precium, præter insanam cuiuscunq; luxus prodigalitatem, aureo circulo ad trecentos sexaginta quinq; cubitos ex tenso cubiti crassitudine circundatum. In cuius spacij complexu certa mensuræ proportione, anni, dies, astrorum motus, quidue de ijs Ægyptiorum Astrologorum obseruatio certaq; experientia statuerat, futurumq́ue prædixerat, continebatur.

Hic

Hic & aliud prodigalitatis exemplum quam in Deum eius loci præsidem ex aureis argenteisq; metallis annuatim profuderat Simandius, cuius precij summa inibi ad eius rei memoriam erat scripta. Minæter decies centena & ducenta milia milium. Quid hoc aut sumptu magnificentius, aut solerti artificis ingenio excellentius cogitari vnquam poterit?

De Zoroastæ Bactrianorum regis sepulchro.

ZOroastes Bactrianorum rex armis opibusq; potentissimus, qui primus Nini Assyriorum regis tyrannidi collecto exercitu occurrere est ausus, munificentiæ quā vivus exercuerat, pulcherrimum etiam fastigium in morte imposuit. Sepulchrū enim nouem stadiorum altitudine, latitudine decem construxit, vt quem immensus huius orbis meatus viuum non continuerat, hoc mortuum tanq̃ iam palmam præbentem haberet.

De Amasi Ægyptiorum Rege.

AMasis præter multa diuitiarum suarum exempla, ædificium è solido lapide ab vrbe Elephantina, Saim vsque artificum industria promouit, in quo triennium totum exegerunt delectorum artificum milia duo. Eius autem ædificij tectum extrinsecus erat vnius & viginti cubitorum longitudine, latitudine quatuordecim, octo sublimitate. Huiuscemodi vastissimā molem lapideam per tot montiū præcipitia, conuallium quod hiatus promotam quis est, qui inter veteris magnificentiæ exempla reponi debere neget?

De Ælij Hadriani Cæs. Mole.

AEGyptiis in Piramidum structuris non tam studio fuit vt loca munitionibus propugnaculisq; obfirmarent quam vt vanam opum suarum in posterorum animis relinquerent memoriam. Vtrumq; autem Hadriani moles obtinuit. Siquidem & vrbi proqugnaculum, autoris verò nomini æternā

diuitiarum opinionem conciliauit. Describitur autem à Procopio hoc modo: Hadriani quondam imperatoris sepulchrum extra portam Aureliam iactu lapidis impositum. Primus eius ambitus quadrigati figuram habet, constat enim totus ex marmore pario, summa artificum diligentia exædificatus. In medio verò huius quadrati, rotunda moles adsurgit, excelsa altitudine, & tanta, vt in extrema eius parte area sit, cuius diameter vix iactu lapidis transigitur. Quam molem Belisarius occupans pro arce, & præsidio contra Gotthos vsus est. Erant olim in summa parte vndique magnæ statuæ hominum, equorum, quadrigarum miro artificio elaboratæ: Has partim integras milites demoliti, partim confractas in hostes deiecerũt. Hanc etiam nunc Romani Pontifices pro præsidio habent, vulgò sancti Angeli arx, dubium an vesana hominum superstitione nominatur.

De Septizonio Seueri.

COMMode nobis veterum monimentorum splendorem scrutantibus Seueriani septizonij quo imperatorum quoq; cineres condebantur memoria incidit. Erat autem Septizonium magna quædam moles quadrata, quæ septem quasi zonis vel columnarum ordinibus inuicem super impositis in modũ quatuor porticuum ambiebatur: ita vt columnæ quanto altiores eò minores, breuioresque disponerentur: in cuius medio quatuor parietes loculos quosdam facientes surgunt in quorũ summo vel regum, vel imperatorum condebantur cineres. Huius autem adhuc superesse dicuntur tres operis ambitiosissimi velut zonæ, columnarum pulchritudine, magnificentia, altitudine spectabiles ex quibus connectuntur. Quanta futura erat totius operis altitudo, si moles integra cum totis septem Zonis superesset, cum tantam tres solæ hominibus admirationem extorqueant.

De Mausoleo. Mausoli Cariæ regis cineribus ab vxore Arthemisia dicato.

Non

NON tam molis ipſius quam picturarum nobilitatis nomine. ſeptem orbis miraculis clarum Mauſoleum mariti amori a b Arthemiſia vxore datum annumeratur. Patebat id ab Auſtro & Septentrione ſexagenos ternos pedes. Breuius autem erat aliquantò à frontibus. Toto circuitu extendebatur pedes quadringentos xi. Attollebatur in altitudinem viginti quinq; cubitis. Columnis cingebatur xxxvi. Ab Oriente Scope artificis manu cœlatum. A Septentrione Bryacis, à meridie Timothei, ab occaſu Aeocaris, tanta operis elegantia, vt inter ſeſe artificum manus quodammodo viſæ ſint concertaſſe. Neq; hactenus ſatis quatuor artificum induſtria viſum fuit nobile, niſi quintus quoq; accederet. Nam ſupra Pteron, Pyramis altitudine inferiorem ſtructuram æquauit viginti quatuor gradibus in metæ cacumen ſe contrahens. In cuius ſummitate quadriga marmorea quam Pythis feciſſe dicitur. Hæc vniuerſo adiecta operi, centum quadraginta pedes ſtructuræ huius molem euehebat. Opus immortalitatis quoque operibus merito annumerandum.

De Auguſti Cæſaris Mauſoleo.

ETiam inuitus in hoc magnificentiæ genere conſiſtere cogor, adeo certatim huiuſcemodi operum examina (ita vt fit) ex alijs alia ſeſe memoriæ offerunt, ſtilique noſtri officium ſibi efflagitant: quorum Auguſti, quod non ſibi tantum, ſed imperatoribus cognatiſq; omnibus commune extruxit ſepulchrum, neutiquam ſuo honore fraudandum videtur. Id opus in Martia valle, interque Flamineam viam ripamque Tyberis extruxit. Eius vero magnificentiam Suetonius, qui id inſpexit, quod æternum id futurum putarit, ſcribere neglexit. Quare Caſſiodorum omnium vltimum qui de rebus Romanis ſcripſere, de eo audiamus neceſſe eſt. Cuius hæc ſunt verba. Sed mundi dominus ad potentiam ſuam opus extollens, mirandâ Romanis erigens fabricam, in vallem Martiam tetendit Au-

gustus. Immensa moles firmiter præcincta montibus continetur, vbi magnarum rerú indicia clauderentùr. Bissena quippe hostia ad duodecim signa posuerunt. Commemoratione quoque inquit Strabo dignissimum est quod Mausoleum appellát, in excelsis fundatum molibus, lapide niueo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum, in summum vsq; ad verticem. cc.l. cubitorum, ad fluminis ripam coaggeratum. In cuius summo positum est Cæs. Augusti simulachrum ex ære fabricatum. Sub aggere ipso sunt eius loculi & cognatorum & necessariorum. A tergo vero locus est mirifica continens ambulacra. In medio autem campi spacio, busti extat ambitus, & hic ipse niueo perfectus lapide, in circuitu ferreos cancellos habens & plantatas interius præ se ferentes populos. Habet duos obeliscos, quorú alter minor quidem, sed loco altior, qui pinciano nunc in colle prostratus cernitur. lunæ, alter Soli dicatus. Is est (vt ait Plinius) Obeliscus qui in campo Martio centum decem pedes à Mesorolide est inscriptus. Splendidissimum & hoc commemorationeq; dignissimum est opus.

DE SPLENDIDISSIMIS THERMARVM VRBIS ROMÆ STRVCTVRIS.

PRiusquam ab hac omnis magnificentiæ genere insigni vrbe Roma, cogitationis atiem remoueamus, visum est ab his Pyramidum Obeliscorumq; splendidissimis operibus, ad non ignobiliora eiusdem vrbis Thermarum miracula, non exigua quoq; veteris illius opulentiæ argumenta transire. Quorum principia ob vetustatem, scriptorum opera non enituere. Quod quidem incuriosæ hominum negligentiæ tribuetur, tanti operis primum authorem principiaq; in densissimis obliuionis tenebris delitescere. Plurima sunt quorum magnificentiam miramur, obstupescimus, veneramur, cum tamen à quo inuenta constructaq; sint temporum

porum iniuria nobis obliterauerit. Hæc si curiosorum curiosa diligentia anxia requirat, veterum socordia non mea castigetur negligentia. Primas tamen quæ scriptorum admirationem meruere (ni interim nos fallat memoria) Romana magnificentia sibi vendicabit, Vt enim balneæ tum privatæ, tum publicæ, omni bene institutæ Reip. tribuerim, ita sumptuosissimas eas propemodumq; divinas ædificiorum cœlum attingentium moles. Romanæ soli adsignauerim opulentiæ. Nam quis ita oscitanti diligentia ne dicam an negligentia, veterum pace belloq; res gestas est scrutatus, qui vetustissimum balnearú usum vbiq; sibi obuium non obseruauerit. Sed nos omissis quæ aut nullam aut sanè perquam exiguam in se habent admirationem ad splendidissima horum operum exempla stili nostri impetú retorqueamus. Non enim circa curiosas otiosorum hominum speculationes morari nobis est visum: sed quicquid insigne æternaque dignum memoria splendor effecit, quam possimus compendiosissima narratione memoriæ tradere. Proinde quid sibi nominis ratio velit, quæue ad has moles ædificandas ratio imperatorum aut alioqui diuitijs clarorum hominum animos concitarit, deq; magnitudine vastitateq; dicemus. Thermas græcæ originis vocabulum esse quis nescit? locaq; quæ aut calentibus aquis aut ipsis siue aqua fornice igneo calefacto, lauandi sudandiq; vsum præbuerunt vocatas? easque extructionum insanias à luxu (quanquam non paucos qui in ijs desudarunt modeste constet vsos) profectas, vt his officijs popularis auræ gratissimus susurrus extorqueretur, dum in ijs conueniens populi multitudo, lusibus, sudandoq; animi vigorem excitat, iucundissimoque colludentium spectaculo oculos mentemq; recreat, dum hyemis iniuriam gratissimo tépore leuat, æstatisq; iniurias tectorum vmbra opacitateq; divitat. Priuatis ergo omissis, quas vel mediocriter diuites habuisse constat, principum circa eas res luxuriantium magnificentiam dicamus, in-

quibus nullum neque modum, neq; mensuram fuisse, ex etiam nunc extante Diocletiani Thermarum prodigiosissima mole cui non manifestum erit? quas nec barbarica ira, nec vetustatis maleuolentia, nec furaces eorum manus qui aquæductuum reliquorumq; splendidissimorum edificiorum lapides ac marmora, in priuatarum ædium extructiones asportarunt, variantesq; alternantium structurarum vicissitudines, per annos mille ducentos demoliri potuerunt: quarumq; reliquiæ etiam núc miserabiliter concisæ, vniuersæ Italiæ palatia, magnitudine, operisq; sumptuositate præcedere existimantur. Tanto veterum opes splendidiores, animi sublimiores nostris his (ne quid amplius dicam) effœtis planè temporibus, vt nec reliquias quidem animo aut sumptu, in speciosissima florentissimaq; totius orbis parte, sola propemodum vetustatis imitatrice, quisquam mille ducentorum annorum spacio interiecto, superandas aut æquádas saltem sibi existimauerit. Erant autem in his varia & propemodum infinita loca, varijs exercitijs, vsibus, voluptatibusq; deputata: quædam ad calefaciendas aquas circulari forma quæ non tantum locis nihil vltra solum infimum erectis, verú etiam pensilibus calidam ministrabant, quam iam lotionibus inquinatam, canales subterraneiq; meatus, in cloacas euoluebant. Erant Apodyteria, Lauantium vestes depositas seruantia. Areæ amplissimæ, vastissimis circumdatæ porticibus, quas diuersi coloris ingentes marmoreæ fulciebant columnæ, quarum non nullas non sine animi stupore etiam nunc adstantes obstupescimus, nonnullas iacentes, comminutasque non sine grauissimo dolore cernimus, multas pro templorum ornamentis nobilitas auferri fecit. Pauimenta vero Lithostrata, diuersi coloribus conspicua tessellulis, parietes marmoreis tabulis incrustati. Erant & Xysti laxissima amplitudine porticus, hibernis athletarum exercitijs deputatæ, & natatoria populi ludis delicijsq; exposita, & quis credat? etiam nemora, deniq; nihil

non

non magnificentiæ vndiq; relucebat, vt merito inter orbis miracula sacrari cum Pyramidum reliquisque orientis miraculis superbissimis debeãt. Qui aũt huiusce rei gloriam hac magnificẽtia meruerint, iá dicere aggredior, sola nominis honorifica mentione contentus, ad ea quæ iam dicta sunt lectoris cogitationem relegans, ex quibus operis magnitudo, solerti indagatione facile perpendi poterit. Nobis quoq; hæc iam satisfactura erãt, nisi peculiari oratione nobilissimorum operum auctores celebrari mererentur, & instituta scribendi ratio in exempla rem digerere compelleret.

De Nerone Rom. Imperatore.

AC primum quidem in tanto laudis splendore Neronis subit magnificentia, quæ non infimam huius gloriæ portionem sibi vendicauit, immensis Thermarum ponderibus constructis, vbi post Alexandrinæ sunt positæ, quarum etiam nunc ingentes ruinas conspici vetustatis studiosi adserunt. Neronianarum autem cum re nomen simul interijt, omnisq; huius munificentiæ memoria, pari affecta, adflictaque calamitate, in perpetuis mersa tenebris delitesceret, ni æternis credita res literis bona fide posterorum cognitioni foret reddita. Itaq; te nunc appellamus. Quod nunc conspicuus emineas, nunquam morituris scriptorum monumentis acceptum referre debes. Quæ enim tu ad æternitatem construxeras, breuissimum temporis spacium ita absorpsit, vt ne nominis quidem reliquiæ vestigiaque in nostra versatura sint memoria, nisi fidissimis rerum gestarum custodibus, literis forent tradita. Tanto certiora minusq; mortalitati sunt obnoxia quæ doctorum hominum scriptis posteritati traduntur, quam quæ sui admiratione splendoreq; perpetuam hominum conantur eblandiri memoriam.

De Vespasiani Filiô Tito August. Cæs.

Ean-

EAndem quoque magnificentiæ huius ſplendore instigatus Tit. Veſp. amor & delitiæ (quod ait ille) generis humani, diuitiarum potentiæq; gloriam ad poſteros tranſmiſit. Hoc tamen eius cæterorum munificentia mirabilior, quod qui in tanta alieni continentia vixerit vt ne conceſſas ſolitasq; collationes acceperit, nemini ante ſe munificentia, apparatiſſimis largiſſimisq, edendis miraculis, impar ſit repertus. Hic etiam ille qui recordatus neminem quodam die ſuam in ſe ſenſiſſe liberaliratem, omni ætati mæmorandam vocem ædidit: Amici (inquiens) diem perdidi, triduaniq; vrbis incendij calamitatem multo quam ante ſpecioſiore celebrioreq; publicarum priuatarumq; ædium ſtructura ſuppleuit.

De Antonio Caracala Cæſ.

VErum tui infandum deuotumq; caput, cuius omnis memoria ſceleratiſſimam fraternæ cædis deteſtatur impietatem inuitus memini, vtpote digni qui ſempiternis obliuionis tenebris ſepultus, ex omni hominum memoria deturberis, cum nihil aliud quod commemorationis gratitudinem mereatur, quàm quod ampliſſima Thermarum erexeris miracula, per totius vitæ curſum patraris. Eximium ſanè opus, cuius ſolearem cellam, vlla alia ratione, quam qua facta erat fieri potuiſſe negarint mechanici. Nam ex ære cupro cancelli ſubpoſiti eſſe dicti ſunt, quibus concameratio tota credebatur, tanta latitudine, vt non fieri poſſe latior mechanices peritiſſimi iudicauerint. Quarum adhuc ingentes ruinæ cum altiſſimis parietibus, columnisq; ſemiſepultis miræ & magnitudinis & pulchritudinis conſpici dicuntur. Indignus plane es, cui tanti operis gloria tribuatur.

De M. Agrippa.

NEque ab hoc laudis genere M. Agrippa alienus extitit, qui non minus hic veræ laudis, quàm in aquæductus opere meru erit. In vtroq; certe perpetua nominis ſui præconia inuenit.

De ſeptimo Seuero Cæſ.

ET rebellicis rebus nemine ante imperatorum inferior Seuere, orationis meæ anguſtijs, præclariſſimorum virorum qui hac in re nominis ſui propagarunt memoriam claſſi interſeri patere. Non ignoro enim à quanto armorum ſplendore te ad Thermarum officia auocem Sed dignaberis quoq; illuſtrisſimis principibus, qui vrbis ſplendorem mirabili huius generis opere illuſtrarunt adnumerari. Nihil tuæ gloriæ vetuſtatis derogauit inuidia, quæ huius tuæ ſtructuræ opera in feſtiſſimo roſit dente, cum eius memoria etiamnum recens in hominum mentibus vigeat.

De Gordiano Cæſare.

AGe & Gordianum ad hanc in vrbis Romæ ſplendorem effuſiſſimorum principum claſſem referamus, qui præter monſtroſiſſimam regiæ edificationem ducentas columnas vno ſtilo, continentis & Thermarum portentis, qualia tunc non niſi Romæ nuſquam orbis terrarum habebat conſtructis, clarus etiamnunc in hominum animis atque nunquam moriturus viuit.

De Diocletiano Cæſare.

QVid? an ego te prudentiſſime munificentiſſimeq; Imperator DiocleaDalmaticæ regionis vrbe oriunde indictū abire ſinam? qui quo vera opulentiæ tuæ exhiberes ſpectacula, neq; cum Imperij Rom. inclinatione, priuatas opes inclinatas certiſſimis doceres argumentis, neminéq; iam commemoratorum principum validis Imperij nervis fruentium inferiorem te eſſe, mirandum in exquilijs Thermarum cum ſumma laude erexiſti ædificium. Cuius adhuc operis fragmenta, ruinasq; noſtra hæc tempora cum admiratione venerantur, quæ talia ſunt, vt non tantum omnium principum palatia magnitudine, ſumptuq; æquare, ſed etiam ſuperare ab ijs, quorum oculos tanti operis ſplendor perſtrinxit, commemorentur.

De Cæsare Domitiano.

QVod tuæ munificentiæ in hoc laudis genere, perquam tenuis sensus ad nos labatur, Christiani nominis inuidiæ, qua supra omnis pectoris tui violentia exarsit, non diligentissimæ eorum temporum curiositati imputabis. Merito enim eorum qui sibi non virtute, sed structurarum insanijs immortalitatem promittunt opera, sempiternis obliuionis traduntur tenebris. Quare neq; ego te orationis beneficio, illustriore fama, quam violati numinis iustissimum consilium patitur, dignabor. Non enim Christianorum calamis celebrari mereris, quorum sanguine effera mentis tuæ rabies satiare non potuit. Huius quoque rei gloria vtinam æquæ tibi possit derogari, ac peruersissimæ mentis labe nomen tuum conspurcari est procliue.

De Aureliano, Constantino, & Nouato principibus.

NON sinunt me diutius licet magnificentissimis operibus clariora ac diuersi generis exempla immorari. Sed ne nominis vestri inuidia illustrissimi principes Constantine, Aureliane, & tu Nouate qui omnes de nomine vestro vocatis Thermis Reip. gloriam honestatis, laborare videar, cum præclarorum exemplorum multitudo nos reuocet tenui, saltem mentione honestabo.

DE MIRANDIS PONTIVM STRVCTVRIS EXEMPLA.

De Semiramide.

NON erit hic præclarissimum interque mirabilia orientis opera numerati Pontis miraculum, quo Euphratis Babyloniam interfluentis ripas Semiramis omnis generis operum fœcundissima mulier iunxit, honore suo fraudandum. Erant enim summæ difficultatis opus aut fundamenta iaci, aut iacta non statim fluminis vi euerti, al-

ti, altiſſimum limum flumine quo penitus ad fundamenta iacienda egeſto, vix ſuſcipiendo operi firmum ſolidumque ſolum reperiebatur, Harenæ autem ſubinde cumulatæ, ſaxiſq; quibus ædificij moles incubitura erat annexæ, dum inundatiſſimi fluminis vi, ob meatus obſtructos laxarentur, rapidiore quam ſi libero curſu inerant, impetu vndas in Pontem illidebant. Columnæ recto erant in imum fluminis itinere demiſſæ, duodenum pedum ſpacio inter ſingulas poſito, ferreis truncis qui liquefacto plumbo atq; infuſo ipſas Pontis coniuncturas compingerent circumuinctæ. Eæq; ne aut violenti fluminis rapiditate, aut vndarum alluuie labefactatæ euerterentur, cauarenturq; anguloſis ſeptæ circummunitæq; ſunt ſtructuris, in eam altitudinem extra aquas eductæ, ad quam efferueſcentis fluuij rabies peruentura non credebatur, quæ omnia ne quid magnificentiæ, ſumptuumque, deeſſet, immortali Cædro Cypariſſo, ac palma ſummi precij lignis ad quinq; in longitudinem ſtadia, in latitudinem triginta pedes coniungebantur. Opus nulli omnium quæ ſequens edidit memoria neque ſumptu, neq; magnificentia inferius.

De Xerxe.

GRæcorum fabulis Xerxes illuſtratiſſimꝰ, Iſthmi Achaici anguſtijs exercitꝰ labore perfoſſis, maioris potentiæ oſtentãdæ libidine ex proximi conatus ſucceſſu inſtigatꝰ, fretum id ꝙ Abydum Cherſoneſi ora ſalebroſa Helleſponto in mare procurrente diſiungit, continuis ſuccedentium nauium ordinibus exercitui ſuo tranabile reddidit, cuius anguſtiæ, ad vlteriorem continentem ſeptem erant ſtadiorum. Iam erat exercitum tranſportaturus, cum ſæuior de repente exorta maris tempeſtas, nauium retinaculis partim intumeſcentis vndæ vi diſruptis, partim navibꝰ inter ſe colliſis maximi conuulſiſq; laboris difficultatiſq; negotiũ breuiſſimo momento prorſus fecit irritũ. Cuius iniuriæ dolore exacerbatus regis animus, potentiæ

exemplo etiam ſacrilegij ſcelus cœpit adijcere, in non ſentientem Neptunum compedes mittere, acerbis conuiciorum plagis, ſæuire, ac etiam ſi Dijs placet verbera inſonare. Miſit enim qui trecentas plagas infligant, compedes in pelagus mittant, ac conatibus ſuis rebellem Neptunum huiuſcemodi increpatione caſtigent. O aqua amara. Dominus hoc te ſupplicio mulctat, quod nunquam male de te meriti cœptis procaciter reſtiteris. Te tamen velis nolis pedibus tranſmittam. Nec diutina mora. Nihil acerbiſſima tempeſtatis iactura moratus (mirabile viſu dictuq;) nauium numero pelagus denuo obtexit. o nimia potentię confidentia, qua non tantum exciduntur montes, vallium hiatus æquantur, ſed cui etiam ipſa rerum natura cedere cogitur.

De Alexandro magno.

Nihil huius quoq; potentiæ nimium fuit. Perſis in Suſidarum Pylarum anguſtijs, quas Ariobarzanes loci fretus natura, regis aduentum excepturus inſederat, in fugam coniectis, Perſepolim vrbem regionis caput, dum recentis ſtragis terror deſidi omnium animos detineret ignauia, feſtinans à Tyridate regiæ Gazæ cuſtodæ admonitus plebem de regijs theſauris diripiendis, conſilium inire, properauit eos relictos occupare. Ad hæc Tyridatis inſtigationes voceſq; docentis expeditum eſſe iter, loca ab omni hoſtilis fraudis ſuſpitione eſſe alieniſſima, quaſi frigidam ſuffundebant. Quare cum omnem bene gerendæ rei ſpem in vnica celeritate poſitam cognoſceret, equitatu tantum adſumpto, immenſum iter vnica emenſus nocte, prima luce in Araxis fluminis ripis conſtitit. Hic nihil tanta feſtinatione actum cum videret, Araxe iter impediente, ni ea qua tantum itineris tranſmiſerat celeritate, flumen quoq; emetiretur, vicis qui in propinquo erant dirutis atq; direptis, ſaxiſque in fundum demerſis, ſtrenue breuiſſimo momento, quod multorum annorum opus laborq; videri poterat quaſi

Pon-

Ponte obduxit, inopinatoq; aduentu, plebis furore coniurationeq; discussis, arce regia thesaurisque ex voto potitus est.

De Iulio Cæsare.

Libentissime Cæsarem Alexandro, fortem forti, magnificum magnifico iungimus, qui Vbiorum dedititiorum populi Roman. precibus motus, quos assiduis eruptionibus ferocissima Sueuorum gens territabat, quo hostem nominis sui authoritate ac amicitiæ opinione qua Vbijs iunctus videretur à maleficio & iniuria coerceret, omnino Rhenum sibi traijciendum existimauit. quod quidem nauibus moliri cum ignominiosum & sui & populi Roman. dignitati reputaret, etsi nimia fluminis rapiditas, latitudo ac altitudo omnem Pontis sternendi spem eripere viderentur, mirabili tamen ratione instituta, decem dierum spacio, quibus materia etiamnum rudis comportata fuerat, omni opere perfecto exercitum traduxit. Nec semel hæc quidem. Sed secundo quoq; Rhenum cuius obiectu fretus secure hostis Cæsaris aspernabatur vires, Ponte quasi iugo captum populi Romani vsibus seruire coegit. Tantam materiam cæsam, iuncturisque contra eam fluminis rapiditatem colligatam, breuissimo decem dierum spacio, is minime mirabitur, qui sexcentas triginta naues in summa omnium rerum inopia (cum materia ex Hispanijs esset comportanda) incommodissimo hyemis tempore ad Britannicum bellum ab eodem constructas diligentius animaduerterit.

De Nerua Imperatore.

QVid de Danubio vorticosissimo ferocissimoque flumine, tanta gurgitis altitudine, pelagique in morem latissimè diffuso, pontibus à Traiano Nerua strato dicam? Cuius quidem hæc fuit occasio. Romanæ legiones Danubium traiectæ, omnem eam regionem late armis tenebant, quibus ne fluuio frigore adstricto libera præsidiorum auxiliorumque negaretur indu-

inductio, eaq; res Barbaris Romanos vexandi, reique bene gerendæ præberet occasionem, itinere, commeandique vltro citroque facultate interclusa, opus mirandum, maximeq; mirabile adgressus est Traianus. Viginti stabant ex quadrato lapide pilæ, altitudine pedum centum & quinquaginta, præter id quod fundamentum firmitatemq; terræ immissum præbebat. Latitudine autem sexaginta pedum continebantur, inter se centum & septuaginta pedes distantes, fornicibus concamerationibusq; coniunctæ, Tantas moles in ea fluminis altitudine rapiditateq;, in limosis vadis, stabiliri, columnas extrui potuisse, maximam sempiternamq; ætati ei diuitiarum magnificentiæq; gloriam conciliauit.

DE FLVMINIBVS DERIVATIS.

De Miride rege Ægyptio.



EAdem insania quæ maria fluminaq; pedibus meabilia effecit, terras quoq; nauibus permeabiles reddidit ad quod genus opera animus versus, in Ægyptij regis Miridis admirationem rapitur, qui acceptas regni habenas amplissimis splendidissimisq; conatus decorare operibus, quibus & regni amplitudinem extenderet, simul sibi apud posteros perpetuam munificentiæ opulentiæq; gloriam lucrarentur, decem stadijs supra vrbem admiranda vtilitate, magnitudine incredibili, lacum tria milia & sexcenta stadia complectentem ambitu, in præceps quinquaginta passus tendentem, effodit. Hoc quidem consilio. Nili incerta sunt incrementa, proq; ijs, fructus terra incolis partitur, nam flumen iustam mensuram excedens, superfluo limo agros reddebat inutiles, ipsaq; sibi obsistebat fœcunditas: infra consuetos autem limites sedens, siccitate nimia arefactos agros sterilitate adficiebat, alter vtroq; vergente fluuij natura, æque grauis expectanda erat agricolis calamitas, Cui incommodo huiuscemodi re-

di regis potentia temperamentum addidit, ne cum ſupra modum excreſceret, diutius aquis terræ incubantibus, ſuperfluo limo redderentur agri inutiles, neue aquæ infra conſuetam altitudinem reſidentis defectus, eoſdem ſiccitate perderet, quæ inundantis ſupra modum Nili rabiem, tanquam vinculis iniectis frenaret, & ſegniciem demiſſius ſe effundentis conſilio caſtigaret, ducta à fluuio ad hunc lacum vſque per ſtadia octoginta quinq., iugera latitudine foſſa, quæ efferueſcentis fluminis aquam receptam, nunc oſtijs clauſis, nunc apertis, pro agricolarum emitteret arbitrio, publicum regionis vicium priuatis ſumptibus conſilijſq; caſtigauit. Quæ faucium ipſius foſſæ (dij immortales) pondera, quæ ſiue relaxarentur, ſiue clauderentur, quinquaginta talenta, (quæ noſtrate numiſmate octo milia librarum Flandricarum ſeptingentas, & eò amplius conſtituebant) in ſumptus ſibi poſtulabant. Quæ eiuſdem amplitudo? ex cuius vectigalibus numeroſiſſima ſalſamentariorum turba, reginæ ipſi in vnguentorum delicias, reliquumque corporis cultum, ſingulis diebus argenti talentum ſuppeditabat. Non me contineo quin exclamem. O inexhauſtam regni opulentiam. o animum tantis diuitijs dignum, qui ijs in multa ſæcula publicæ vtilitati agros tanquam largiſſimo imbre irrigauit.

De Seſoſtri rege Ægyptio.

MEmoria Seſôſtris quoque in huius rei munificentia ſemper recens poſteritati erit, neque vnquam inuidioſa temporũ iniuria, ignorantia hanc laudem obruet, qui omnem eá oram quæ à Memphi ad mare ſpectat, crebris aquarum à flumine deriuatarum alueis ita diſtinxit, vt duplici commoditati ſeruirent, campi fluuiali lympha rigarentur, naueſq; compendioſiore aditu reciperentur; qua ex re ampliore rerum copia terræ nauigationis commoditate imbuerentur. Neq; vnica hæc ora tanta regis ſenſit officia. Plæraque enim Ægypti loca, hoſtium incur-

incursibus, ob itinerum facilitatem patientia, frequentibus interiectis à fluuio fossis, ab omni hostili vi secura reddidit.

De Semiramide.

HOC quoq; quam clarum memorabileq; exemplum haberi debet. Pontis per Euphratem fabricandi curam cum animo concepisset Semiramis, lacus effluuio effosso, omnem fluminis vim eò contorsit, ne aut recens iacta pontis fundamenta rapiditate sua disijceret, aut architectis perficiendiq; moliendi molestiam præberet. Quanta paludis effossæ amplitudo, quæ perenni inundatione fluminis torrentis vortices gremio suo nihil grauata excepit: dum pontem diuinum planè opus strauisset, pristini aluei crepidines ijsdem quibus Babylonici muri celeberrimum orientis miraculum compacti erant, solidasset, innumeros propemodum ad aquam ex vrbe descensus publicæ vtilitati eadem materia extendisset. Quibus omnibus perfectis (numinum fides) Euphratem è stagno ad priorem cursum reuocauit, An quisquam tam torpenti in veteris magnificentiæ consideratione ingenio reperiri poterit, cuius non hic præcordia dum hominum arbitrio tantorum fluminum violentiam subiectam, ac quasi eorundem nutu sursum deorsum iactatam audit, flagrantissimo admirationis igne calescant.

De Cyro Persarum rege.

NON minus admirationis in hominum animis eiusdem imitatione exempli reliquit Cyrus, quanquam non ijsdem quibus illa motus causis, sed per animi impotentiam grauissimis iracundiæ succumbens adfectibus, vt quam illa publicæ vtilitati operam desumpserat, hic inani vindictæ cupiditate in non sentientem exardescens, exhibuerit. Expeditione in Babylonem desumpta, cum Gyndis amnis ripas, multas emensus terros attigisset, qui cum vndarum obiectu diutius aliquantò quam tanto furori par erat, à cœpto itinere retineret, rapidioribusq;

ribusq; vorticibus, altioreq; aqua pedeſtrem negans tranſitũ, non niſi nauium adiumento ſpem tranſportandi exercitus faceret, è ſacris equis (quos tum ſic vocabant) quidam ſiue iuuenili quadam petulantia, ſiue virtutis oſtentatione inſtigatus, aut vt reliqui exercitus moram exemplo ſuo caſtigaret, alueũ fluminis ingreſſus natatu vlteriorem fluuij oram petebat. Qui in medium prouectus, vbi vaſtiores voluebantur vndæ, contorquentium atq; in orbem ſe rotantium fluctuum, vorticũq; rapidorum violentia obrutus medijs aquis abſorbebatur. Cyrus muliebri vlciſcendi cupiditate ob fluminis iniuriam exæſtuans, ſe ita id redditurum exile vt ne tranſeuntium genua vndis adſpergat, comminatur. Nec mora. Suſcepta expeditione omiſſa, exercituq; ad opus perficiendum diſtributo, in centenos octogenos, aut vt Oroſius opinatur quadragentos & ſexagenos alueos flumen comminuit. Tantam potentiam quæ naturæ ipſi violentas barbaricaſque auſa ſit inferre manus, ac poſt ſe quaſi cathenatam ducere, quis æternæ cedro mandandum eſſe negabit?

De eodem.

PRIoris conatus fœliciter ſuccedente alea, animus Cyrus tollens, id quod in Gynde ſecundum Euphratem flumine clariſſimo ante tentatum ſucceſſus optatos erat conſecutum, in Euphrate quoq; ſimili gloria perfecit. Babilonijs enim longo iam tempore fruſtra obſidione preſſis (quippe qui futurarũ rerum ſtatum animo præuidentes, multorum annorum commeatum conuexerant) cum iam conſilij inops à ſpe capiendæ vrbis excidiſſet, quam & mœnium vaſtiſſima moles, fluminiſq; altiſſimi latitudo roborarant, ſeu à quopiã ſubmonitus, ſeu per ſe quid in rem foret animo præuidens, rem perpetuæ ſeculorũ omnium memoriæ conſecrari dignam adgreditur. Flumine in vicinam paludem quam Semiramis, pontibus id ipſum flumen iunctura olim effoderat, inertiori copiarum parte indu-

cto, alueum pristinum ita siccum reddidit, vt vix vadantium suræ leui fluctuum adspergine adluerentur. Qua occasione oblata ante à Cyro admoniti, vrbem minimo captam negotio deuastant. Dignus es planè nobilissimæ huius vrbis expugnatæ gloria, cum potentiæ tuæ non magis laboriosum esse statuta perficere, quam statuere à dijs immortalibus sit concessum.

De Xerxe, Persarum rege.

XERxem illum superbissimum freti Hellespontiaci littora nauibus iungentem, perq; mare pedibus vadentem, naturæq; officia pro arbitrio mutantem quis hic prætereat? Superiore classe iuxta Athon nauibus prærerlectum adflictata, pristinis itineris periculum longitudinemq; fugere volens Athon in longitudinem passuum mille quingentorum à Continente abscidit, perfodit, transnauigauit, fretoq; nauigabilem reddidit, perpetuo ad vlteriorem vsq; isthmi oram alueo deducto, qui compendioso itinere classem in vlterius mare deduceret, quod alioqui non nisi longissimo maris tractu nauigatione reflexa fieri poterat. Sic elementorum commutata natura, terras marium, maria terrarum vsum præbere, quælibet pro arbitratu suo fingens atq; refingens, potentia sua adegit, tanquam qui eorum non vsum sed imperium à cœlo adsignatum haberet. Adeo nihil ita arduum, quod aut veterum animus tentare detrectaret, aut opes potentiaq; perficere nequirent.

De Semiramide Assyriorum regina.

SImilibus opulentiæ neruis fulta, insimilia magnificentia illustris apparuit Semiramis, cuiuscunq; generis admirabiliũ operum mulier fœcundissima. Ecbatanam clarissimum Mediæ caput cum accessisset, præter regiam regio insignem luxu aquæductuum quoq; commoditate frui fecit. Erat vrbs campestri maximeq; inportuno loco sita, nullis neque fontium aut fluminum, aut alicunde accersitæ per aquæductus aquæ alueis irriga-

irrigata. Quare ne dum gloriæ vrbis augendæ curam impenderet, neceſſariæ rei inopia laboraretur, aquæductum ſummo impendio laboreq́; (quod res ipſa ſecum rationem ineunti ſatis loquitur) per Oratorem arduum, acceſſuq́; difficilem montem produxit. Omnibus enim circumquaq; poſitis locis ſcaturentium fontium leues aquarum vortices, præterquam imis montis radicibus, quæ ingenti lacu aluebantur, natura inuiderat. Cui malo remedium adhibendum rata, per montem cuius recto itinere aſcenſus ſtadia viginti quinq; explebat, maximo & labore, intolerabilibuſq; ſumptibus, ima radicis parte ruptum, lacum in vrbem foſſa latiſſima, altitudine quadraginta quinq; pedes elata induxit. Animum muliebrem tantarum rerum cogitationibus non ſuccubuiſſe, non defeciſſe theſauros, dum ſaxoſi montes radices tantos meatus repugnãte natura, admittere coguntur, quis ſatis queat admirari?

De eadem.

ANTIquam reliquorum principum exempla aurem mihi vellicantia, à te retorqueant, quanquam non vſquequaque titulo reſpondens exemplum ſubijcere placuit. Per Ecbatanos ad Iarcieum montem, iter deſtinatum, cum frequentia montium præcipitia valliumq; horrendi hiatus non niſi cum grauiſſimo totius exercitus labore periculoq; negarent, illa potentiæ ſuæ oblatam materiam gaudens, diſcuſſis anfractibus, lociſq; concauis horrendiſq; præcipitijs ad planum deductis, breuiorem ſimul & expeditiorem viam reddidit. Quod idem paulo poſt in omnibus Perſidis, cæteriſque quibus imperabat Aſiæ locis, quæ aliquam naturæ imitationem requirere videbantur, montibus ſaxiſq; incidendis vallium hiatibus in planum efferendis, ab eadem repræſentatum eſt.

De Crœſo Lydorum rege.

ITer Crœſi exercitum ducentis, Halis fluuius ex Tauri montis radi-

radicibus per Cateroniam Cappadociamque defluens interiectu suo remorabatur, nec ob altitudinem vado transiri, nec ob materiæ inopiam pontibus sterni poterat. Facillimum tantæ opulentiæ regis, ijs difficultatibus repertum remedium est. Amplissima enim fossa à superiore fluminis parte circum castrorum latera deducta, in eamque aquis deriuatis, alueum à fronte castorum positum, mirabili operi post exercitus terga circumduxit, copiasq; in citeriore fluminis parte consistentes, portentoso operis miraculo, in vlteriorem ripam transmisit.

De Ptolomæo Ægyptio.

HAbet & Ægyptus insigne huius gloriæ monumentum, fossam à Pelusiaco ostio sumptuosissimo opere ad rubrum vsque mare deductam, quam cœptam Nechaus, ob summam operis difficultatem, multorum annorum requirentem labores imperfectam relinquere coactus est, cuius post Darius, cupiens aliquod potentiæ liberalitatisque Ægyptijs relinquere monumentum, aut vt officijs subiectorum animos obnoxias sibi redderet, perfectionem meditabatur à quo conatu cum eum siue inundationis periculum, siue laboriosissima operis difficultas deiecisset, interruptos fossarum anfractus relinquere est coactus. Ptolomæus autem horum aut animi demissionem aut inopiam castigare volens, opportuno loco sinuosis ductibus fossa extensa, rem Dario maiorem quam pro humanis viribus visam, singulari artificio perfecit, & quo non tantum diuitiarum penuriam sed etiam imperitiam Dario exprobraret, eò fossam aquarum fluxu temperauit, ne aut inundationis periculum metui, aut nauigationis commoditas prohiberi posset. Nauigationi relaxatis fossæ ostijs, quod satis erat aquæ dabatur, ijsdem reclusis, nimiæ eius multitudinis metus accolis adimebatur, Sic quod nulli hactenus à dijs immortalibus datum videri potest, commoditate absq; alicuius periculi metu frui, huius regis opibus agrestibus euenit.

De Alexandro Magno.

IN aliјs pleriſq; magnus, in hoc quoq; non parua magnitudinis exempla edidit Alexander Babylonem hic quam medius Euphrates interluebat, cum foſſam pariter & gerem inſtituiſſet, ſubito flumine auerſo per ipſum fluminis alueum ingreſſus capit.

De C. Iulio Caeſ.

FOrtiſſimi imperatoris Alexandri, mentio in C. Cæſ. ſtrenuiſſimi quoq; principis memoriâ me rapit, qui Vxellodunum Cadurcorum oppidum in præcipiti poſitum, cum neq; ob firmitudinem præruptoſq; quibus obſeptum erat aditus, machinis bellicis expugnari poſſe videretur, ſiti adflictum reſciſſis alióque contortis fontis qui obſeſſis aquæ præſtabat copiam venis, ad deditionem compulit, cum tantam rem non hominis cuiuſquam conſiliò, ſed deorum tantum patentia fieri potuiſſe in animum induxiſſent.

De P. Seruilio Iſaurico.

P Seruilius quem Iſauros munitiſſima Ciliciæ arx Iſaurici nomine honeſtauit, cum in obſidione ocio ſeneſceret exercitus, locorum natura vrbem defendente, ac commeatus quem eò ex marium deprædationibus conuexerant fame eandem expugnandi ſpem adimeret, nouam commentus victoriam: flumine auerſo, ſiti ad deditionem compulit, cuius victoriæ perpetuú trophæum Iſaurici nomine adſumpto ſibiipſo erexit.

De Q. Metello Macedonico.

QVanquam vulgaribus hic rebus, nec diuino magnificentiæ ſplendore nitentibus non ſit locus, erat nihilominus duobus triumphalibus Macedonici & Celtiberici nominibus inſignitus Metellus in exempla referendus, qui memorabili ac admirabili exemplo caſtra hoſtium in ſubmiſſioribus locis conſtituta, fluminis emiſſi vorticibus inundauit.

De Demetrio rege, Cæſ. dictatore, C. Principe.

Si in arduis conatus ſua non caret laude, nec mihi Demetrius rex. Dictator Cæſar. Domitius Nero. ſua fraudandi ſunt gloria Iſthmi Achaici anguſtias incredibili opere quanquam infauſto (vt omnium patuit exitu) perfodere in animo inſtituentes. Id quis in Caligula profuſiſſimo principe miretur, quem id efficiendum quod fieri poſſe negaretur ſibi ſumere ſolitum accepimus.

DE ROM. AQVÆDVCTIBVS.

LIBERIVS per omnes terrarum angulos cogitatione vagantis animum, vnius Romæ iuuiſſa alibi aquæductuum miracula nimio operis ſplendore ad ſe rapiunt. Ingentis horum magnificentiæ argumentum, nullas quanquam gloriæ caloribus æſtuantes nationes, aut animo complecti, aut labore circumſcribere eos fuiſſe auſas, & ferociſſimam Gotthicæ immanitatis barbariem quam ne vrbis quidem præclariſſimæ reuerentia à feritate, facibus, demolitione prohibuit, horum operum admirationem ab iniuria abſtinere compuliſſe. Quod ſi quis diligentius aquarum abundantiam, balneas, piſcinas, Euripos, domos, hortoſq; ſuburbanos, quæ horum aqua perluebantur, venientium inſuper ſpacia, excelſimoſq; arcus, quibus aquam locis dimiſſioribus excipi neceſſe erat animaduertat, montes perfoſſos, conualles æquatas, pyramidum ocioſas moles, cæteraq; Græcorum fabulis opera illuſtrata, minoris eſt habiturus, ac innumeris neceſſarijsque aquæductuum miraculis vel comparare propemodú pudebit. Ea enim etiamnum minitentium murorum pondera, principem totius orbis vrbem qui τοπογραφικῶς nobis delineant, verborum magnificentia ſtupentibus nobis exponunt, vt non mediocrem hinc vetuſtati laudem omnino conciliandam putem, quæ ſingulari cuiuſq; deſcriptione facile pateſcet.

In

In numero ordineq; non admodum erimus ſolliciti, quæ cum inutilem prorſus moleſtiam habeat, nihil propemodum ad hoc noſtrum mellificium conferunt, ſed ocioſis tantum hominibus moleſta anxietate ſe macerandi præbent occaſionem.

De Appio Claudio Cenſore.

REp. Rom. ſecundioris fortunæ afflatu luxuriante, veterúq; ſordium pauperiæ nouo ſplendore eluente, aquæ è fontib⁹ aut Tyberi hauſtæ vſus, prodigioſiſſimis aquæductuum miraculis commutatus eſt. Cuius oſtentationis prima gloria Appio Claudio (cui poſtea caſus cæci cognomen addidit) tribuatur. Hic Appiam (quæ appellatione hac perpetuæ autoris nomen memoriæ conſecrauit,) poſt Samnitici belli finem, M. Valerio Maximo, P. Decio Mureno coſſ. in vrbem induxit. Hæc tamen quanquam Appij nomen perpetua fama illuſtret, non parum C Fabij eiuſdem dignitatis collegæ opera, adiuta eſt, qui eius aquæ venis inquirendis, nimio ſtudio incumbens Venocis cognomine locupletatus eſt. In agro Lucullano, via Præneſtina, inter miliarium vi. & viij. diuerticulo ſiniſtrorſus, paſſuum ſeptingentorum, octoginta concipitur, ducta à fontibus ad Salinas, locum trigeminæ portæ vicinum, ad paſſuum vndecim milium centum triginta extenſa, ſaluberrimo ſcaturentium aquarum fluxu, meatu ſubterraneo paſſuum vndecim milium, centum triginta, Subſtructione vero & ſupra terram opere arcuato, ad portam Capenam paſſuum lx. labens priuatis publiciſq; vſibus ſeruiebat. Dignum omni admirationi miraculum.

De M. Curio Dentato.

APpius huius laudis ſucceſſionem M. Curio Dentato cenſoriæ dignitatis titulo illuſtri tradidit, qui Anienis veteris aquam ex manubijs à Pyrrho Epirota captis in vrbem perducendam curauit. Cuius operis progreſſu Curij morte interrupto Fuluius Flaccus perfectæ rei gloriam ſibi rapuit, qui (res miranda

randa) partim vastissimis arcuum molibus erectis, montibus vi perruptis, camporum decliuitatibus æquatis per quadraginta duo passuum milia in vrbem aquas perduxit.

De M. Titio.

APPiæ Anienisq; ductibus partim vetustate, partim scelera-tis priuatorum manibus quassatis M. Titius qui tum prætor inter ciues peregrinosq; ius dicebat, Prouinciam collapsos aquæductus reficiendi in se accepit, & quoniam florentissimæ vrbis incrementum amplioris aquæ vsum requirere videbatur, eo omne studium intendit, quo alias aquas in vrbem elatioribus arcubus perduceret, propositique tandem compos factus, licet plærisq; senatoriæ dignitatis viris obluctantibus, aquam cuniculis per montes actis, meatu mille septingentorũ & eo amplius, sub terraneo riuo passuum. liiij. milium. cclxvij, opere autem super terram arcuato passuum. vij. milium, ccccxiiij, à suo nomine Martiam dictam in vrbem adduxit. Operis magnificentiam sestertium quatuor milia & octoginta ad id decreta, quæ tamen sumptuum impendia nullo modo æquare potuerunt, satis comprobant.

De C. Seruilio L. Cassio censoribus.

ET vos clarissima nominis Rom. lumina, qui morum censura Rom. opulentiam ornastis, nouarum aquarum inductione vrbi splendorem, vobis immortale nominis decus conciliastis memoria complector. Siquidem vt cum bellicæ rei splendore vrbis quoq; ornamentum cresceret Anno post Martiam vndeuigesimo hoc est vrbis conditæ. M.c.xxviij, ex agro Lucullano, quem quidam Tusculanum credunt, Tepula aqua Romam vsq;, & quidem admirabilius in ipsum capitolium ad xi. miliarium perducta, æternam huius rei magnificentia laudem meruistis.

De Agrippa

Eius-

EIusdem vrbis augmento claris egregijsq; viris annumeretur & Agrippa qui ædilitatis suæ tempore, præter cæterarũ aquarum corriuatos emendatosq; aquæductus, Virgineam aquam ex agro Lucullano per quatuordecim milium passuum longitudinem, aliorum exemplo, partim riuo subterraneo, partim in aere suspenso libratoq; in vrbem perduxit, cuius venas fontemq; puellæ cum reperisset indicio aquam Virgineam nominauit. Quo opere, officijs nunquam intermorituris ciuium animos sibi deuinxit, non tam ob ingentem aquæ vim salubri aura vrbem puriorem reddentem, alluuieque eiusdem sordes eluentem, quam ob incredibilem lacuum numerum hominum vsibus deputatum, vt non immerito Augustus morosas vulgi vinum flagitantis preces hoc dicto repulerit. Tot aquas introduxit Agrippa meus, & vinum quæritis.

De Octauiano Cæs. August.

NEC tu mihi Rom. Imperij honor, illustrissime princeps indictus abibis, qui huius gloriæ non infimam partem, ex splendoris Romanæ vrbis augmento tibi rapuisti. Alsietinam aquam è lacu vnde profluit Alsietino dictam, quanquam nullius gratiæ & parum salubrem nullaque propemodum in parte hominum vsibus, nisi naumachiæ seruientem, proprijs sumptibus in vrbem induxisti, quæ quod naumachiæ supererat, hortis irrigandis, sordibusq; eluendis attribuebat. Et præter hæc Martiæ alueum, nimijs siccitatibus aquam negantem, largiore fonte iuducto perpetuo fluxu vrbem sibi obnoxiam reddere fecisti. O indefessas Rom. potentiæ vires, quæ neque externorum bellorum molibus quassari, nec inauditis luxuriæ generibus, nec operum sumptuumque magnificentia vlla ex parte debilitari potuere.

De Caligula Cæs. eiusq; successore Claudio.

C. Quoq; Cæsar qui imperij summam post Tyberium inuaserat, duos nouos ductus inchoauit, quod opus imperij

successor magnificentissime perfecit. Alteri cuius aquæ fontibus Curtio & Cœruleo deriuabantur Claudij nomen datum. Alteri noui Anienis, quo commodius à veteri appellationis discrimine dignosceretur. Claudia Sublacensi via concepta, ductu quadraginta sex milium passuum, vrbem partim venis subterraneis, partim supra terram altissimis quibusdam in locis, arcubus librata vrbem minitabunda ingrediebatur. Noui autem Anienis ductus per octo & quinquaginta passuum milia (O monstrum inauditum,) mirabili arcuum vltra centum pedes alicubi fastigiatorum, opere, vrbem gratissimo madore fœcundabat. Horum prior aquæ ductus omnes, sumptuum impendio structurarum celsitudine vincebat, quippe lapidea excelsitate omnes & montes & vrbes exæquans, in huius structuræ sumptus quingenta & sexaginta talentum milia, erogata fuere. Sed ego orationi meæ modum in hoc magnificentiæ genere statuam, cum Rom. in huiuscemodi operum magnificentiam profundendi finem inuenerint nullum, non enim omnium aquæductuum descriptiones consectandi nobis fuit animus, qui vltra decimum nonum excreuere numerum, sed eorum quasi gustum aliquem vetustatis admiratoribus præbere fuit animus, vt inexhaustas illas καὶ ἀεὶ ῥέοντας fœti omnis magnificentiæ æui diuitias, veluti per transennam inspiciendas præbeam.

De Domitiani Naumachia.

Diuersi quidem nominis, rei propemodum eiusdem exemplum placuit subtexere Domitiani Naumachiam ingens quondam lateq; patens ac lacurarum instar effossum stagnum ad Rom. iuuentutem exercendam, quæ disceret & in aquis aduersꝰ hostes pugnare. Quod & ipsa nominis etymologia satis edocet. Dictus enim is locus Naumachia, ὅτι ἐνθάδε ταῖς ναυσὶ μαχοιντο. i. quod ibi nauibus certarent. Erant autem ingens per Martiam vallem ducta protensaq; iuxta Tyberim lacus, qui de-

riuatis

riuatis è flumine aquis oppletus, latissimum maris exhibuit prospectum, quoquouersus aquis nullo fluxu impetuq; torrentibus, pro pugnæ ratione nauium cursus recipiens, facilesq; ijsdem flexus atq; reflexus vtrinque concurrentibus exhibens, dum neque hanc secundiore æstu concitatius in aduersam illidit, neq; illius violenter ruentibus ac aduersantibus vndis cœpta eludit, eæ latitudinis vt iustæ classis nauales sæpius exhibuerit pugnas.

DE VETERVM AGGERIBVS MVNIMENTISQVE MEMORABILIBVS.

De Ogdoo Ægypt. rege.

NIHIL quod ad amplitudinem attinet sacrosanctá illam vetustatem omisisse & vastæ aggerum munimentorumq; moles, quas aut pacis tempore aut belli summa cum gloria erexit, abunde testatum esse voluerunt. Cuius laudis primas sibi Ogdous clarissimus Ægyptiorum rex vsurpabit, qui Memphim celeberrimam ac munificentissimam vrbem, centũ & quinquaginta stadia patentem, (ne annua Nili inundatione qua vniuersa fœcundatur Ægyptius, vrbis decus deformaretur) adhærentesq; ei agros aggere validissimo opposito ea quæ maxime Notum respiciebant parte circumdedit. Reliquas vrbis partes altissimo effosso lacu decorauit, in quem fluminis abundãtia deriuata circumquaq; loca finitima irrigaret, munitissimasq; vrbis regiones redderet, quibus commoditatibus in eam claritudinem vrbem euexit, vt succedentium regum series, relictis Thebis eam sibi regni sedem regijs inibi constructis delegerit. Quis non admiretur inexplicabilem regis potentiam quidlibet pro arbitrio fingentis ac refingentis, dum flumen alibi tanquam eius gubernacula retinens, alueo se condere, alibi tanquam laxatis habenis terris irrumpere cogit,

De Sesostri rege.

REI magnificentia obstupefacta, cogitationis acies laborat, tacitusque tantam materiæ copiam in has titulorum angustias arctari conqueror. Sesostris terra mariq; victoriæ suæ meta constituta, cum reuersus domum post annorum nouem spacium, omnem belli gerendi posuisset curam, largissimis spolijs militum virtutem (quorum strenua opera in bello vsus fuerat) cum pensasset, dijs quoq; tantorum gestorum adiutoribus cum persoluisset stipendia (omnes enim Ægypti vrbes Dei quē præcipue colebant, splendidissimo templo sacrato ornauit, nullius ad tantas res opera accersita, quod & ipse templorum frontes pro elogio sibi vsurparunt, quo nullius Ægyptiorum regum in eiusmodi operibus opera vsos se fuisse iactabant,) à dijs ad homines munificentiæ suæ monimenta conuertens, permultos amplissimosque humo euecta molitus est aggeres, quo vrbes in decliui positas, annuaq; Nili inundatione vexatas transferri iussit, sæuientisq; fluuij rabiem quæ subiecta passim loca, homines, pecudes, vrbes deniq; ipsas late inundabat, hoc remedio compescuit. Sic si vnius loci incommoditatem correxisset, quo stupore hominum mentes attonitæ ducerentur, cuius cum tot extiterint hoc beneficio adfectæ vrbes, maximè tot iam enumeratis sumptibus grauati, quis non splendoris atq; munificentiæ huius fide obruetur.

De eodem.

NON æquum fuerit eiusdem magnificentiæ exemplum alterius narrationi inuoluere, ac turba obrutum peculiari præconio fraudare. Hic idem murum amplissimæ molis ab ea Ægypti parte, qua Syriam Arabiamq; spectabat (quam hostili irruptioni accommodam natura fecerat) à Pelusio ad Solis ciuitatem vsque, per vastissimas solitudines stadijs supra mille quingentis deduxit. Sic terrarum naturę emendata nauis ex cedro ducentorum octoginta cubitorum exterius deauratæ,

dear-

deargentatæ interius deoque cuius numen Thebis colebatur, ab hoc ipſo oblatæ gloriam facile obfuſcauerint.

De Semiramide.

HVius magnificentiæ laudem Semiramidis opulentia quoq; meruit. Erat ſplendidiſſima omnium terrarum vrbs Babylon vnius anni labore perfecta, Fluuij inter labentis ripæ ſumptuoſiſſimo opere pontibus iunctæ, alio flueti rapacitas detorta, ne quid interim ea aggerum iaciendorum commoditate data ceſſaretur, neue humile quid, quod cæterę magnificentię non reſponderet, conſpiceretur, terreas fluuij crepidines, muro latitudine vrbis ipſius inter orientis miracula reputata mœnia æquante circumuinxit. Nihil illam tantæ vrbis opus, nihil alio contorta Euphratis fluenta. Nihil ſpecioſiſſimam pontis ſtructuram. Nihil tot ſumptus quibus mulier circumfrementes paſſim populos tyrannidiſq; inſuetos in officio retinuit, huius diuitias labefactaſſe qua verborum veneratione celebrari merebitur?

De Babyloniorum rege Syro.

SPlendidiore titulo monſtroſiſſima hortorum penſilium ædificia, vulgatum illud Græcorum fabulis miraculum ornari mereretur: ſed cum res ſi anxia hac quælibet in ſuos titulos partiendi cura laborem in immenſum eſſet progreſſura & infiniti ordines conſtituendi forent, viſum eſt non incommode huiuſce operis genus hoc complecti poſſe titulo, cum & id humo euecta in aggerum figuram coaluerit. Huiuſcemodi pluſquam humanarum virium opus nimiane opum oſtentationis cupiditate, an ſaturo vrbis faſtidio incitante molitum ſit verú dicam non habeo. Quanquam vt vrbis tœdio faſtidioſos regú animos, dulci viridantium herbarum virore; iucundo florum aſpectu, arborum gratiſſima vmbra, leniq; ſcaturientum fontium ſuſurro recreatos, iterum tœdioſis vrbium muneribus reſtitu-

restitueret huius structuræ consilium fuisse videatur, cum non alio efficacius remedio, quam gratissima hortorum aura florúq; amicissimo spiritu fragrantium, animi sollicitis rerum gubernaculis, negociosissimisq; Reipub. officijs iam fracti pristino vigori restitui potuerint. Huic rei cum vrbs ob continente serie domos annexas, locum negaret, neque temporis exiguitas quod à curis sollicitudinibusque intermissionem aliquando præbebat extra vrbem fieri permitteret, pensilium hortorum remedium adhibendum esse statuerunt, vt & vrbes hortorum amœnitate commendarentur, & horti vrbium splendorem non desiderarent, vt id quod rerum natura negabat, industria opum viribus suffulta suppleretur. Ad huiusmodi præclarum diuitiarum ornamentum Babyloniorum regis Syri animum pellicis affectata gratia protusit, quæ cum Persicorum pratorũ amœnitatem, quorum aspectu e montibus frui solita erat, in Babylone plana prorsus nullisq; montium iugis distincta regione desideraret, virum impulit vt patriæ regionis imaginem quam natura inuiderat, artificio repræsentaret, amœnitatemque naturæ, huius operis genere imitaretur. Rex quo pellicis animo gratificaretur, nihil inusitato terris portento territus, in quam opum suarum vires extenderet, materiam nactum se gaudens, hortum quoquouersum quatuor iugerum mensuram implentem firmissimis quæ pondus sustinerent basibus substratis erexit. Aditus montis aspectum, artificiosa naturæ imitatione, paulatim ab imo accliuis referebat, varijs interim præcipitijs opere exaggeratis, quæ longo lateque subiectorum camporum, syluarum viridantium, vallium tacitos secessus, oculis subijcerent, labentiumq; riuulorum aspectu desuper intuentium oculos satiarent. Testudines in solo positæ totius horti pondus sustinentes, inde aliæ alijs excrescente paulatim altitudine impositæ fuere Superiores quibus horti murorum superficies continebatur, altitudine quinquaginta cubitorum eminebant

nebant, latitudo earum pedum erat duodecim, murus viginti duorum pedum latitudine conſtructus. Solum hoc modo ſtabat. Erant lapideæ trabes ſexdecim pedum longitudine, ſex latitudine. Super has pro pauimento ſtratæ arundines aſphalto compactæ. His duplici ordine cocti lateres gypſo concinnati imponebantur. His rurſus plumbeæ tegulæ, ne qua humiditas demanans guttis teſtudines exederet. Huic autem emittendæ varia collocata erant aquæ receptacula. Pauimento ſic conſtituto profunda humus quæ & magnarum arborum radicibus ſufficeret coaceruata eſt. In eo enim proceræ validiſſimæq; arbores truncis octo cubitos latis quinquaginta pedes altis, tanquam in terra ſua alebantur, quarum radices aquæductus occulte fabricatus ſaluberrimo madore irrigabat. quid multa? Effectum vt Perſici agri miro artificio ſitum repræſentans abſentis patriæ deſiderium reginæ excuteret.*

De Semyramide.

RVrſus ego te Babylonici regni gubernatrix ſplendidiſſima, in vetuſtatis laudem citare compellor, quæ totius Perſidis loca in latiorem patentia planiciem, (ne videlicet vlla terræ conditio tuum non ſenſiſſe ſe quæreretur officium) amœniſſimis montium iugis diſtinxiſti, qui aut præclarorum ducum ſepulchra, aut imponendas vrbes quaſi dorſo acciperent. Sic te locorum ſitus transferentem, montes gratiſſima camporū planicie, planicies montium amœnitate commutantem, quis niſi nullo admirationis igniculo calens æternitati conſecrandam hic negauerit.

De Alexandro Magno.

OMnia magnificentiæ exempla Alexandri moles qua inſulam Tyron continenti iunxit propemodum ſuperauerit, quæ freti æſtibus quibus quatuor ſtadijs à Continenti diuidebatur, aggeribus reclußs pedeſtres victoris terrarum copias tranſ-

restitueret huius structuræ consilium fuisse videatur, cùm non alio efficacius remedio, quam gratissima hortorum aura floruq; amicissimo spiritu fragrantium, animi sollicitis rerum gubernaculis, negociosissimisq; Reipub. officijs iam fracti pristino vigori restitui potuerint. Huic rei cum vrbs ob continente serie domos annexas, locum negaret, neque temporis exiguitas quod à curis sollicitudinibusque intermissionem aliquando præbebat extra vrbem fieri permitteret, pensilium hortorum remedium adhibendum esse statuerunt, vt & vrbes hortorum amœnitate commendarentur, & horti vrbium splendorem non desiderarent, vt id quod rerum natura negabat, industria opum viribus suffulta suppleretur. Ad huiusmodi præclarum diuitiarum ornamentum Babyloniorum regis Syri animum pellicis affectata gratia protusit, quæ cum Persicorum pratorū amœnitatem, quorum aspectu e montibus frui solita erat, in Babylone plana prorsus nullisq; montium iugis distincta regione desideraret, virum impulit vt patriæ regionis imaginem quam natura inuiderat, artificio repræsentaret, amœnitatemque naturæ, huius operis genere imitaretur. Rex quo pellicis animo gratificaretur, nihil inusitato terris portento territus, in quam opum suarum vires extenderet, materiam nactum se gaudens, hortum quoquouersum quatuor iugerum mensuram implentem firmissimis quæ pondus sustinerent basibus substratis erexit. Aditus montis aspectum, artificiosa naturæ imitatione, paulatim ab imo accliuis referebat, varijs interim præcipitijs opere exaggeratis, quæ longo lateque subiectorum camporum, syluarum viridantium, vallium tacitos secessus, oculis subijcerent, labentiumq; riuulorum aspectu desuper intuentium oculos satiarent. Testudines in solo positæ totius horti pondus sustinentes, inde aliæ alijs excrescente paulatim altitudine impositæ fuere. Superiores quibus horti murorum superficies continebatur, altitudine quinquaginta cubitorum emi-

nebant, latitudo earum pedum erat duodecim, murus viginti duorum pedum latitudine conſtructus. Solum hoc modo ſtabat. Erant lapideæ trabes ſexdecim pedum longitudine, ſex latitudine. Super has pro pauimento ſtratæ arundines aſphalto compactæ. His duplici ordine cocti lateres gypſo concinnati imponebantur. His rurſus plumbeæ tegulæ, ne qua humiditas demanans guttis teſtudines exederet. Huic autem emittendæ varia collocata erant aquæ receptacula. Pauimento ſic conſtituto profunda humus quæ & magnarum arborum radicibus ſufficeret coaceruata eſt. In eo enim proceræ validiſſimæq; arbores truncis octo cubitos latis quinquaginta pedes altis, tanquam in terra ſua alebantur, quarum radices aquæductus occulte fabricatus ſaluberrimo madore irrigabat. quid multa? Effectum vt Perſici agri miro artificio ſitum repræſentans abſentis patriæ deſiderium reginæ excuteret.

De Semyramide.

RVrſus ego te Babylonici regni gubernatrix ſplendidiſſima, in vetuſtatis laudem citare compellor, quæ totius Perſidis loca in latiorem patentia planiciem, (ne videlicet vlla terræ conditio tuum non ſenſiſſe ſe quæreretur officium) amœniſſimis montium iugis diſtinxiſti, qui aut præclarorum ducum ſepulchra, aut imponendas vrbes quaſi dorſo acciperent. Sic te locorum ſitus transferentem, montes gratiſſima camporũ planicie, planicies montium amœnitate commutantem, quis niſi nullo admirationis igniculo calens æternitati conſecrandam hic negauerit.

De Alexandro Magno.

OMnia magnificentiæ exempla Alexandri moles qua inſulam Tyron continenti iunxit propemodum ſuperauerit, quæ freti æſtibus quibus quatuor ſtadijs à Continenti diuidebatur, aggeribus recluſis pedeſtres victoris terrarum copias tranſ-

tranſmiſit.Quo arctius intra freti anguſtias volutabantur maria,hoc arctius furere, vaſtoſque fluctus etiam tranquillo mari in littus euoluere,ac aggerum moles ſubruere. Quare difficile erat periculoſumq; nauibus pendentes& inſtabiles,cum ijs qui è ſolido telo iaciebant certamen inire.His tamen omnibus ſuperatis difficultatibus Alexander,qui ſe freti rapidiſſimi beneficio tutos credebāt,vt in continente eſſet effecit,profunditatemq; illā latitudinem ac rapacitatem maris quas nulla quantūuis vaſtiſſima ſaxa , nullæ quantūuis proceræ arbores omnibꝰ exhauſtis terris expugnare poſſe videbātur,quarū rerū conatꝰ nō tantū tanq̄ irriti ab oppidanis negligebantur,ſed & à ſuis tanq̄ ἀμήχανοι viſi minꝰ alacriter capeſſebātur,ét dijs ꝓpemodū inuidentibus aggere ſolidauit. Videre erat mirandam regis ſpiritu pleni cum mari luctam,quod ingeſtum erat patulo ore ac varaginoſis fluctibus abſorbente, Aggeres cum in montium altitudinem excreuiſſent nondum tamen fluctuum faſtigia æquabant. Variæ audiebantur Tyriorum per opprobrium in laborantium conatus voces,inter cæteras,num Neptuno vincula inijcere pararent,Adeo illos irritos futuros conatus ſpes perſtrinxerat. Quibus contumelijs militum virtute tanquam cote acuta,iam moles extra aquas ſurgebat, ſenſimq; in vrbis excidium promouebatur, dum violentior ſurgens procella, fluctuum omnem impetum huc conuoluens omnem operis compagem , ſaxa arboreſq; condenſatas diſijceret,breuiq; temporis momento tot dierum opus ita abſorberet vt nulla eius Alexander reuerſus veſtigia inuenerit : Hic neq; animi fracti, neq; de priore alacritate remiſſum eſt quicquam, qui vniuerſū orbem armis potentiaque ſubiecerit, freti inter lapſu ab vnis Tyrijs excludi ſeu ſuperari indignum rebatur. Nouum molis opus orſus , in aduerſum fronte recta oppoſuit, quod priorem iacturam incautiore poſitione perpeſſus videbatur, & quoniā priora opera varijs hoſtium incurſibus exagitata nouerat, am-

pliorem

pliorem aggeri latitudinem quæ & turribus ſuſtinendis ad hoſtium impetum profligandum par eſſet, circumſcripſit. Totæ arbores cum ingentibus ramis alto demerſæ grandibus onerabantur ſaxis, quibus aliæ rurſus humo ſaxiſq; exaggeratæ, in diſſolubili nexu opus intricabant, effectum denique vt quæ ne diuina quidem ope impleri poſſe maria exiſtimata ſunt etiam turres machinaſque ferentia, ad vrbem aditum, exhibuerint, nobiliq; illa inſulæ continenti iunctæ gloria Alexandrum honorauerint.

De eodem.

NOn conuenit vnico è largiſſima celebrium operum ſegete deprompto exemplo, contentum, ſtilum aliôre torquere ac expromptam hanc obuiamque huiuſce generis miraculi gemmam ruſtica manu legere dedignari. Erat vnica Mardorum gens Hircaniæ finitima, ſæuis barbariſque prædita moribus, quæ ſola omnium gentium regnorumq; victoris aduentũ intrepida audierat, nec legationibus aut pacem poſtularat, nec etiam imperata factura videbatur. Erat res periculi difficultatiſque plena aduerſus hoſtem præruptis rupium iugis inſidentem, inhærentemq; confligere, Siqua plana erant, prodigioſiſſimo munimenti genere impedierant Barbari, Arbores denſiſſimis inter ſe ordinibus conſerunt, quarum flexiles adhuc ramos deorſum contortos rurſus terræ inſerunt, quæ res & vigorem duabus radicibus ſuccum digerentibus, mirabilemque firmitudinem continuis tricis, perplexiſq; ramorum nexibus tanquam laqueis iter impedientibus, tutiſſimumque in rebus dubijs accolis præbebat ſuffugium. Maximi erat laboris imo irriti, cædendo iter aperire. Impliciti enim inter ſe armorum rami, viminum in modum ſuſpenſis circulis ictus fruſtrabatur Loci fiducia propemodum ſecuri, hoſtem qui infeſtis aggeribus etiam freta obſtruxerat, virgulta ferarum ritu ſubeuntes, occultis telis laceſſebant, à quibus non pauci dum ignotis in

G locis

locis trepide versantur, ad latebras protracti sunt, inter quos regius quoq; equus Bucephalus. Quæ res dolore iraq; exagitatum satis per se præcipitem regis animum, ad pellendos latebris latrones perpulit. Aduersus nouum munimenti genus, nouo quoque atq; inaudito vsus est consilio. Planiciem enim ramorum tricis impeditam (mirabile visu) terrarum molibus obruit, & quod cædi Barbarorum vetuerat consilium, aggesta humo exaggerauit. Cuius rei nouitate visa Barbari, indiesque in maiorem altitudinem latitudinemq; opus crescere animaduertentes ac propemodum iam syluas obrui, sedibus excussi victoris sese permiserunt arbitrio.

De Tito Vespas. Cæs. Aug.

OMnia ferme Hierosolymam circundans munitio miracula excesserit, siue operis amplitudinem, siue temporis exiguitatem, quo tantum opus confectum est consideres. Titus cum admoto milite capi non posse vrbs videretur cum tanta obsessis virtutis etiam adesset fiducia, vt eruptionibus quotidianis in Romanos summo impetu irruerent fœdissimaq; fuga loco propellerent, accedentibus interim loci ipsius amplitudine, difficultatéq; totam muro ciuitatem adoritur, opus vt paucis dicam Romana prorsus dignum potentia. Exercitui in operas distributo, tanta alacritas incidit, quolibet studium diligentiamq; summam in ipsius imperatoris oculis exhibente, vt totam opus triduo, quod vix totidem annis fieri posse credi posset, effectum sit, vno minus quadraginta stadijs ambitu patens, foris ad defensionem tredecim castellis munitum, quorũ gyrus ad dena protendebatur stadia. Quo opere sibi quod voluit est adsecutus, nobis quod omni æuo miremur reliquit.

De eodem.

ET aliud eadem obsidio admiratione plenum exemplum edidit. Gliscente enim in vrbe famis calamitate, cum iam misera-

miſerabilis vbiq; rerum facies eniteſceret, tecta omnia, omnes viæ mulierum, ſenum, infantiumq; penuria enectorum cadaueribus eſſent præcluſæ, multi iam ægrum fame traherent ſpiritum, ſepulturæq; locum ante fati diem occuparent (cum tanta morientium turba commode humo mandari nequiuiſſet, ſed in foſſas è muris præcipitaretur) Titus miſerabili eius atrocitatis aſpectu motus, ſi quo modo tantam populi peruicatiam, omni ſalutis ſpe adempta frangere poſſet, aggeres quatuor, vnum contra interioris templi aditum, alterum contra exedram, aliorum duorum vnum contra occidentalem templi portam, alterum ab aquilone maximo labore ac miſeria, à nonageſimo etiam ſtadio materia congeſta comportataque inchoauit (ſperans vt dixi) hoc opere deterritos, cum omnem fugæ viam præcluſam, breuiq; vrbis perituræ fatum conſpexiſſent, ſaniora pacis inituros conſilia, Sed licet populi ferociem tantorum operum aſpectus non fregerit, nobis tamen omnique poſteritati, clariſſimi operis futurum eſt exemplum.

De Syluio res Iudaicas adminiſtrante.

OMni Iudaicæ terræ tractu bellis à Romanis ſubacto, vnicum rebelle ſupererat caſtellum Maſſada, naturæ beneficio munitiſſimum, ſaxo vndiq; abruptis montibus cincto impoſitum. Præter duos omnino acceſſus quorum alter ad ſolis ortum ſpectans, in difficillimum explicabatur aditum, alter vero ab occidente faciliori aliquanto via extendebatur, cæteris vndiq; partibus etiam pecorum firmiſſimis facillimiſq; greſſibus erat inuium. Ab Ionatha pontifice ante edificatum Herodes ad quemuis fortunæ euentum ſic circummunijt, vt nulla humana vi expugnari poſſe videretur. Per totius verticis gyrũ ſexaginta ſtadia extenſum murum, cubitos duodecim altum, latum octo, è candido lapide duxit, turribus viginti ſeptem quinquagenorum cubitorum altitudine, per totius muri ambitum, locis oportunis interſitis, vt externi commeatus copia

interclusi,huius operis circumductu, cinctum agrum colendo, saluti suæ consulant. Nihil quod ad protrahendam longius obsidionem vtile videri poterat, quodq; fortiter strenueque vitæ tutandæ spem facere videbatur,huic deerat:ita aduersus quem uis hostium impetum natura opereq; erat communitum, tantaq; frumenti, vini, olei, cæterorumq; quorum vsus natura requirit mortalium,intus reposita copia. Hoc Rom.rebellantiũ Iudæorum princeps Eleazarus, magni vir animi,corporisq; viribus excellens,cum nongentis,quos idem spiritus ad extrema audenda incitarat,insiderat. Ad quod cum armis oppugnandũ venisset Syluius, qui mortuo Basso in Iudeæ administratione successerat, primo quidem ne cui effugiendi daretur facultas, oppugnandi consilium (quod inexpugnabile videretur) cum prorogasset,muro circumuinxit. Diligentius tandem loci natura perspecta,cum vnicum tantum locum qui aggeris iactum accipere posset, (cæteris omnibus vltra nubes prominentibus scopulis munitis) cognouisset, vallum, licet is locus trecentis cubitis castello inferior esset, militibus adferre iussit, quibus alacrem nauantibus operam, iam iam castelli celsitudinem æquaturus,in ducentos cubitos euectus est. Verum cum cespites machinarum bellicarum oneri cessuri viderentur,altissimũ super hunc ingentibus saxis congestis, factũ est tribunal quinquaginta cubitos latum cui rursus turris quinquaginta cubitorum imposita est,vnde balistarum tormentorumq; iactibus defendentes,mœnia propulsabantur. Quid moror? Effectum vt quod vix Gigantæis manibus fieri posse videbatur,Rom.tempora omnis generis maximorum exemplorum fœcundissima, humanis manibus euerterint.

De C. Caligula Cæs. Aug.

NON mirum est hic quoq; Caligulam conspici, qui omnium ingenia propemodum huiuscemodi sumptuum prodigalitate

tate ſuperauit. Miretur quis iactas ab hoc infeſto ac profundo mari aggerum moles, campos montibus æquatos, montium iuga incredibili celeritate camporum in modum complanata, numos è Baſilica Iuliæ per dies non paucos in plebem ſparſos, de cedro liburnicas gemmatis puppibus, verſicoloribus velis factas, magna porticuum, thermarum, tricliuiorum laxitate, vitium & pomiferarum arborum varietate conſpicuas, quibus inter choros ac Symphonias diſcumbens. Campaniæ littora pagrabat, cum id potentiæ ſuæ obijci in quotidianis haberet præcibus, quod non poſſe effici ſummo omnium conſenſu pronunciaretur.

De Septimo Seuero Pertinace.

NEque Seuerum huiuſcemodi molis ſumptus deterruit, Maximis enim grauiſſimisq; in Britannia prælijs geſtis, cum bonam inſulæ partem armis domuiſſet, receptum ditioneque Romanæ ſubiectum tractum foſſa, valloque firmiſſimo crebris turribus caſtellisq; diſtincto per centum & triginta duo paſſuú milia à mari ad mare porrecto, ab indomitis neq; Rom. parentibus armis diſiunxit.

De C, Iulio Cæſ.

MVltum quoq; gloriȩ laudiſq; ex huiuſcemodi aggerum munitionumq; molibus iaciendis ætati ſuæ Cæſar Iulius conciliauit. Helueticos incenſis vicis pagiſq; omnibus, quô deſperationem virtute acuente, per obſtantia ferra ſibi iter patefacerent, in prouinciam Romanam irrumpere conantes, muro ſex decim pedum altitudine, à lacu Lemano ad montem iuram vſque per decem nouem paſſuum milia incredibili celeritate euecto, coercuit.

De eodem.

QVa verborum magnificentia, etiam infeſto mari eiuſmodi iactos aggeres proſequendum merito eſt? Omni enim

interclusi,huius operis circumductu, cinctum agrum colendo, saluti suæ consulant.Nihil quod ad protrahendam longius obsidionem vtile videri poterat, quodq; fortiter strenueque vitæ tutandæ spem facere videbatur,huic deerat:ita aduersus quem uis hostium impetum natura opereq; erat communitum, tantaq; frumenti, vini, olei, cæterorumq; quorum vsus natura requirit mortalium,intus reposita copia. Hoc Rom.rebellantiū Iudæorum princeps Eleazarus, magni vir animi,corporisq; viribus excellens,cum nongentis,quos idem spiritus ad extrema audenda incitarat,insiderat. Ad quod cum armis oppugnandū venisset Syluius, qui mortuo Basso in Iudeæ administratione successerat, primo quidem ne cui effugiendi daretur facultas, oppugnandi consilium (quod inexpugnabile videretur) cum prorogasset,muro circumuinxit. Diligentius tandem loci natura perspecta,cum vnicum tantum locum qui aggeris iactum accipere posset, (cæteris omnibus vltra nubes prominentibus scopulis munitis) cognouisset, vallum, licet is locus trecentis cubitis castello inferior esset, militibus adferre iussit, quibus alacrem nauantibus operam, iam iam castelli celsitudinem æquaturus,in ducentos cubitos euectus est. Verum cum cespites machinarum bellicarum oneri cessuri viderentur,altissimū super hunc ingentibus saxis congestis, factū est tribunal quinquaginta cubitos latum cui rursus turris quinquaginta cubitorum imposita est,vnde balistarum tormentorumq; iactibus defendentes,mœnia propulsabantur. Quid moror? Effectum vt quod vix Gigantæis manibus fieri posse videbatur,Rom.tempora omnis generis maximorum exemplorum fœcundissima, humanis manibus euerterint.

De C. Caligula Cæs. Aug.

NON mirum est hic quoq; Caligulam conspici, qui omnium ingenia propemodum huiuscemodi sumptuum prodigalitate

tate ſuperauit. Miretur quis iactas ab hoc infeſto ac profundo mari aggerum moles, campos montibus æquatos, montium iuga incredibili celeritate camporum in modum complanata, numos è Baſilica Iuliæ per dies non paucos in plebem ſparſos, de cedro liburnicas gemmatis puppibus, verſicoloribus velis factas, magna porticuum, thermarum, tricliuiorum laxitate, vitium & pomiferarum arborum varietate conſpicuas, quibus inter choros ac Symphonias diſcumbens. Campaniæ littora pagrabat, cum id potentiæ ſuæ obijci in quotidianis haberet præcibus, quod non poſſe effici ſummo omnium conſenſu pronunciaretur.

De Septimo Seuero Pertinace.

NEque Seuerum huiuſcemodi molis ſumptus deterruit, Maximis enim grauiſſimisq; in Britannia prælijs geſtis, cum bonam inſulæ partem armis domuiſſet, receptum ditioneque Romanæ ſubiectum tractum foſſa, valloque firmiſſimo crebris turribus caſtellisq; diſtincto per centum & triginta duo paſſuũ milia à mari ad mare porrecto, ab indomitis neq; Rom. parentibus armis diſiunxit.

De C, Iulio Caeſ.

MVltum quoq; glorię laudiſq; ex huiuſcemodi aggerum munitionumq; molibus iaciendis ætati ſuæ Cæſar Iulius conciliauit. Helueticos incenſis vicis pagiſq; omnibus, quô deſperationem virtute acuente, per obſtantia ferra ſibi iter patefacerent, in prouinciam Romanam irrumpere conantes, muro ſexdecim pedum altitudine, à lacu Lemano ad montem iuram vſque per decem nouem paſſuum milia incredibili celeritate euecto, coercuit.

De eodem.

QVa verborum magnificentia, etiam infeſto mari eiuſmodi iactos aggeres proſequendum merito eſt? Omni enim

Gallia propemodum Rom. fidem ſequente, ſoli Veneti, fiducia loci, (quod oppida in extremis lingulis promontorijſque, quæ in mare excurrebant, poſita, pedibus cum ſe ex alto æſtus ſenis quibuſq; horis incitauiſſet, aditú negarent, naues aút decedente æſtu ſicco in littore relictæ, inhabiles atq; ad prædam expoſitæ redderentur,) neq; legatos de pace miſerant, neq; imperata facturi videbantur. His itaq; rebus omnium oppidorú oppugnatio impediebatur, Aggerum aút extructionem prohibebant continuo fluxu atq; refluxu alternantes vndæ, recétia operum fundamenta violenter auferentes, neq; aliquid omnino monumentum labori fauebat, cum ex mari volutæ vndæ, præcipites ac ſúma rapacitate remeare properantes, quicquid fundo iactú erat, ſumma cum indignatione, quaſi compedes ſibi inijci egreferentes, euerterent. Omnem tamen ætas ea viuida ac præclarorum operum ſtudioſiſſima difficultatem perrupit, Extruſis enim mari aggeribus etiam mœnia ipſa æquantibus, quos adire pridem impoſſibile fore crediderant, de fortunis ſuis deſperantes nidis ſuis excuſſit, peruia omnia potentiæ ſuæ reddidit, ac Alexandrum Tyron inſulam continenti iungentem rei geſtæ ſimilitudine æquauit, numero ét ſuperauit, cum hoſtes excuſſi loco vno, in eiuſdem oportunitatis loca ſe ſuaq; omnia transferrent, inextricabileſque noui laboris quaſi Labyrinthos victori ſcrutandos præberent, quibus quidē non aliud effectú eſt q̃ quod præſens periculú in diem promouerint, patientiamque Cæſaris inuſitato furore commutarint,

De Neruijs Galliæ Belgicæ populis Q. Cicer. Cæſaris legati caſtra oppugnantibus.

ADmirabile ſtupendi operis exemplum Neruij Q. Ciceronis hyberna oppugnantes edidere. Inſidiarum ſpē deiecti, cum fraudem qua Sabinum Cottamq; fortiſſimos clariſſimoſq; viros Cæſaris legatos elicuerant, ſolertia ſua deprehendiſſet, ac omnino ſe caſtra relicturum negaſſet, vallo xi. pedum altitudine

tudine fossa quindecim pedum latitudine, per decem passuum milia (quis credat?) tribus horis (quodq; eo est admirabilius omni ferramentorum vsu carentes, quibus id fieri solitum, cespites gladijs tantum circumcidentes, manibus sagulisque terrã exhaurientes, castra, ne cuiquam fugæ pateat exitus, circumplectuntur. O omni ætati stupendium miraculum.

De Alexandro Magno.

ALexander vt terris quas bello subegerat perpetuam sui relinqueret memoriam, vrbem Alexandriam, super amnem Tanaim, intra decimum septimum diem conditam fundatúq; muro quoq; per sex passuum milia muniuit.

DE PRINCIPVM IN PLEBEM LIBERALITATE LIBER SECVNDVS.

DIVITIS atq; præpotensis vetustatis exempla meterutantem ad se principum munificentia, quasi laxissimis habenis in plebem sunt inuecti, conuocat, cui quidem facilem me præbeo, non tam vt aliquid ornatus splendorisq; sacrosanctæ illi vetustati (quo omnis labor hic noster repectare videtur) ex eiusmodi commemoratione concilietur (Imperij enim amplitudo magis ijs quæ dat, quam quæ accipit illustratur,) quam vt huius rei respectus præsentis moribus aliquid prosit.

De Cocceio Nerua Imperatore Romanorum.

IN hoc virtutis laudisque ordine primus Nerua moderatissimus prudentissimusque princeps, tanquam antesignanus nobis progredietur. Hic quicquid pœnæ nomine tributi accesserat plebi iudulsit, Adflictas ciuitates releuauit, puellas, puellosque parentibus natos egestosis, sumptu publico per vniuersa Italiæ oppida ali iussit. Ad sustentandam ciuium adflictorum vitam, decies & quinquagies centena milia numum erogauit, pecunijs exhaustis, vestibus, vasis aureis argenteisque etiam

super

ſupellectilem precioſam, ſiue propria ſiue publica eſſet auctioni ſubiecit, ex eaque precium corraſum ciuitatis neceſſitati elargiebatur.

De Octauia Octauiani Augusti ſorore.

TVA quoque iure laudibus vehenda liberalitas videtur, quæ Marcelli filij fortiſſimi adoleſcentis funus, clariſſimo poetarum principis celebratum elogio, ingenti ac vix credibili precio, milibus ſeſtercium cuiuslibet verſus querelæ elargitis honoraſti. Dignum & hoc factum, quod nulla ſæcula taceant, quare & nobis hic in ordinem redigatur, ſi quo modo principū in ſcurras, mimos, moriones, concitandi riſus artifices, aliaque id genus τῆς γαίης ἄχθη liberalitatem, ad doctorum curam officiaq; honeſtiora hæc narratio traducat, tandemque ſuus literis honor conſtare incipiat.

De Alexandro Magno.

INcredibile dictu eſt hunc nulla neq; præliorum, neque magnificentiæ impendia, quibus præ cæteris omnibus floruit, exhauſiſſe. Imperij enim poſitis terminis, quo aut terrarum ſolitudines, aut marium ſinus æſtusq; prodire paſſa ſunt, multis paſſim extructis vrbibus, inuictæ opulentiæ documentis, exercitum quem multis iam annis omnibus bellis periculorum & cuiuslibet fortunæ ſocium habuerat, præda abducta virtutiſque premijs ampliſſimis onuſtum dimittit, & quo hoc iam illorum virtuti elargitum premium nulla ex parte conciſum remaneret, omne æs alienum ad xxiiij. talentorum milia, proprio ære ſe ſoluturum promiſit. O opes. O liberalitatem.

De Senatu Romano.

QVis credet Senatum Romanum ciuibus immodico ære fæneratorum preſſis, eius ſolutionem reip. tot belli ſumptibus grauatæ humeris impoſuiſſe, ſolutionemq; priuatam in publicam curam vertiſſe.

De

De Seſoſtris Ægyptij regis patre.

SEſoſtris regis pater & ipſe rex opus planem decorum regiumque aggreſſus eſt. Nati enim filij futuram animo præuidens magnitudinem, ſummamq; virtutis indolem certiſſimis corporis lineamentis colligens, ne huius virtuti virtutis inſtrumenta deeſſent, omnes eodem die quo filius in luminis oras progreſſus erat natos ad mille ſeptingentos, communi cũ filio pædia inſtitui, communia literarum rudimenta, diſciplīnæque militaris exercitia imbibere, proprio impendio iuſſit, ſperans inter vnà educatos, & iiſdem militiæ vexillis aſſuetos, arctiorem animorum vnionem orituram, corpore animiſq; deuinctos, communi præſidio filij ſui ferociam futuros. Neque patrem hoc fefellit inſtitutum. Siquidem adhuc adoleſcentior à patre in Arabiam miſſus, quo virtutis olim indole exhibitæ aliquod quaſi daret documentum, omnem eam gentem liberam antè ſeruitutiſq; inſuetam ſubegit, Dein Lybiæ maiorem partem in deditionem accepit. Sed de hoc alias. Nunc regis ſummæ diuitiæ atq; liberalitas conſideranda nobis veniunt, quibus eam filij comitum turba, à primis æui rudimentis ad virile robur educta hunc laudis ordinem promeritus eſt,

De Vlpio Traiano Cæſare.

TRaiani maximi eo ſæculo ornamenti cui hic non in mentem veniat? Cum ita reſonanti eloquentiæ tuba eius liberalitatem C. Plin. decantet, vt eius ſonitus ad quaslibet terras ad omnium temporum homines facile penetrarit, iucundiſq; vocum harmonijs audientium aures implerit. Hic plus minus quinq; milia ingenuorum ſobolis electiſſimæ ex omni imperio conquiſita, ita ali, iiſq; ſtudijs à præceptoribus inſtitui curauit, ad quæ naturæ impetu trahi videbantur, quoſdá ad caſtra, alios ad tribus implendas, alios vt tales euadant quibus alienis opus non ſit alimentis.

De eodem.

HVIC immorari numerosa huius tuæ gloriæ exempla me diutius non sinunt. Dedisti populo congiariū; donatiui partem militib9. Hoc in hac largitione quis leuiter transeat, neminem omnino, neq; quem valetudo domi continebat, aut marinæ vndæ violentia longius à cursu instituto iactatum, notata littora adire non patiebatur aut quem excrescētiū fluminū rabies congiarij die adesse non patiebatur, liberalitatis tuæ expertem abijsse. Negocijs (inquit laudum tuarū buccinator Plinius) aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus distinebatur, expectatus est, prouisumq; ne quis æger, ne quis occupatus, ne quis deniq; longe fuisset, veniret quisq; cum vellet, veniret quisq; cum posset, Sic tu disiunctissimas terras munificentiæ tuæ ingenio velut admouisti, immensaq; spacia liberalitate contraxisti, intercessisti casibus, occursasti fortunæ, omniq; conatu adnixus es ne quis è plebe Romana, dante congiarium te hominem magis sentiret, quàm ciuem. Hoc quoq; magnificum præter aliorum principum liberalitatem præstitisti, quod infantum quoq; curā in te susceperis, laboremq; parentibus liberos ostendendi, ob secrandi, supplicandiq; ademeris, qui omnes non rogatus, non visus, non interpellatus, recipi iussisti. atq; iam inde ab infantia publici parentis munus obijsti, vt tantū omnes vni tibi, quantum parentibus suis quisq; deberet. Pulchre hoc vidisti optime princeps, plebe neglecta, nutaturū ruiturumq; imperium, nisi id larga principum manus foueat, augeat, am plectatur. Facti huius laudem mitto. Opes tantum quisque animo suo percenseat velim.

De Heliogabalo Cæsare.

IN res non minus sumptuosas, quanquam non æque honestas Heliogabali opulentia quoq, apparuit. Hic conuiuis largis haustibus excellentibus, quadrigas, equos stratos, ba-

ſternas, Rhedas certaminis premia propoſuit. Eximie autem in bibendi paleſtris excellentium vinoſitatem aureis millenis, centenis argenti pondo honorare ſolitus traditur. Quin & in Euripis hunc vino oppletis (O profuſionem) nauales pugnas populi oculis exhibuiſſe apud authores in confeſſo eſt, Nunquam minoris centum ſeſtercijs, hoc eſt argenti libris triginta, cum autem largius ſeſtercijs tribus milibus cenaſſe. O diuitias ingentes, quas etiam res ita viles abiectæque imo parum honeſtæ ſibi vſurparunt. Quid futurum fuerat, ſi honeneſta materia huius potentiam exercuiſſet, cum ea liberalitatis officia in ſordida pudendaq; effuderit officia. Quod liberalitatem principe viro dignam exercuerit laudo. Quod autem in quos vſus ea inſumi debuerit, ignorarit, cui velit vicio quiſq; adſcribat.

De Ælio Hadriano Imperatore Rom.

HAdriani quoque in hoc argumenti genere memoria appræhendenda eſt, qui duplex populo congiarium, ternis viritim aureis diuiſis dedit. Et præter hæc infinitimam pecuniam quæ fiſco debebatur, priuatis debitoribus in vrbe ac tota Italia reliquiſque quæ Romano imperio fidem dederant prouincijs, remiſit, & quo omnibus debiti ſoluti robararetur ſecuritas, ſyngraphos, chirographoſq; in Traiani foro comportatos, incendio abſumpſit.

De eodem.

HÆC Hadriani liberalitas in reliquis eiuſdem decoris facinoribus inueſtigandis, animum iam alio intentum progredi incitauit. Senatoribus, quibus opes tenuiores erant, quàm pro eius dignitatis tuendæ ratione, maxime aût quos non profuſio, ſed fortunæ inuidentia ei neceſſitati ſubiecisſet, ſua liberalitate patrimonium ampliauit, vulgiq; inopiam eadem propulit, & Senatus dignitatem retinuit. Sed alio ſtilus reflectatur.

De eodem Hadriano.

GRauissimo sim obnoxius crimini, si quæ toties pulcherrime laudabiliterque designasti, simplici commemoratione contentus transgrediar. Non enim æquum fecero si quæ tu diuersis temporibus diuersa munera summa cum laude profudisti, vna atq; eadem exempli angustia complectar. Sunt deinde omnia hæc munificentiæ tuæ facta, ea dignitate obsepta, vt peculiarem narrationem sibi quasi iure suo merito vendicare, non in turba, inuisa, neglecta, ac non pensitata delitescere debeant. An non seorsum dici meretur, te in socrus honorem alienis terris conquisita aromata distribuisse, in Traiani honorẽ balsamum quod Hiericonis sylvæ tantum exudant, nobilissimum nulloq; precio exequandum liquorem, crocumq; præciosissimum quoq; germen abundanter per Theatri gradus fluere iussisse, vt hinc collectum populus in longos vsus reponeret. Sic cuiusq; ciuis domum sumptibus priuatis effecisti pharmacopolium, omni tempori, omni fortunæ tuam exponens beneficentiam, vt robustorum sanitatem tuereris, affectorum pristinæ valetudini restitueres. Quo non beneficij merito? Qua non liberalitatis laude? Quo non opulentiæ argumento insignis hic apparuit.

De Caligula Cæsare.

TRiste illud terrarum portentum cui vniuersos ciues Romanos vna constare ceruice in votis erat, nostro quoque calamo hic celebrabitur, non vt infami illi cruorisque humani sitientissimo monstro sed vetustati ornatus accedat. Congiarium tricenum sestercium bis populo elargitus est, totiesq; instructissimas regali luxu dapes, senatui; equestrique ordini, ad easdem & coniugibus & vtriusq; sexus liberis accersitis, eosdem omnes posteriore epulo inuitatos, purpuræ ac conchiliorum fascijs splendidissimis muneribus oneratos dimittens.

De

De Claudio Cæsare.

NIhil interim de Claudio dicendum est? qui innumera populo congiaria sæpissime elargitus est, & annona deficiente negociatoribus certa lucra proposuit, in se damno suscepto, si quid cuiper tempestatem accidisset, naues mercaturæ causa fabricantibus magna commoda constituit.

De Domitiano Imperatore.

HIC præter spectacula magnificentissima assidue edita, in quibus exhibendis nemine inferior adparuit, congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit, atq; inter spectaculi munus largissimum epulum adposuit. Cæterum luxum ex quo non exiguas vires institutum nostrum sumpturum est, qui legere desiderat, Suetonium consulat. Nos iter propositũ decurramus.

De Nerone Cæsare.

CLara & Neronis principatus initio adparuit liberalitas, qui ex Augusti præscripto imperaturum se professus, neq; prodigalitatis, neq; clementiæ, neq; comitatis exhibendæ vllam omissurum occasionem iactabat. Populo viritim quadragenos nummos diuisit, Senatori cuique nobilissimo, cuius dignitati impar videbatur patrimonium annua salaria constituit. Felicem Pop. Rom. si quæ virtutis futuræ adsumpti Imperij initio documenta exhibuit, pari exitu comprobasset. Beneficentia enim hæc misere in ciuium capita pari sæuicia commutata, detonuit. Siquidem ut olim citra delectum quemlibet beneuolentiam suam sentire voluit, ita post mutato rerum ordine, interimendi cædibusq; grassandi delectum aut modum nullum sceleratissimus parricida adhibuit. Sed desinam, Non enim semiferi hominis truculentiam atroci oratione exagitare propositum est.

De C. Iulio Cæsare.

AGE vero, quem primo nominatum loco oportuit, hic te interseri patieris Cæsar, in te maxima enim opulentiæ adparuerunt exempla, qui diuitias non voluptatis aut deliciarum gratia, sed tanquam parata viris fortibus premia apud te conseruabas. Cuius rei laus aliud & tempus, aliud ingenium, aliud argumentum requirit. Hic tantum congiarij in populum ostentata sumptuositas prædicabitur, cum cætera omnia liberalitatis tuæ documenta vt instituti mei postulat ratio breuiter comprehendi nequeant, aut si maxime queant, à re proposita videantur aliena: Populo hic præter frumenti modios duos, totidemq; olei libras, trecentos quoq; nummos viritim diuisit. Dedit epulum populo ac visceràtionem, & post Hispaniensem victoriam duo prandia. Cum enim prius parcius quàm pro imperatoria liberalitate præbitum iudicaret, auaritiæ sordiumq; infamiam nouo atq; largiore multo prandij apparatu quinto die post honorifice eluit. Vtinam hic humani pectoris cogitatio paulisper singula pensitās, pedem figat, videret opinor compendiosissima methodo, quanto huius nostri æui rebus, veterum fuerint opulentiores.

De Augusto Cæsare.

QVid autem Augusti opulentia vnquam quisquam vidit Augustius, qui frequentissime præter cæterorum omniũ morem hisce liberalitatis munijs vacauit, quibus plenam illã & opibus inexhaustam, magnificentissimisq; facinoribus fœtã ætatem, in posterorum animis non desijt propagare. Omnis ordo huius sentijt liberalitatem. Senatorum censum maiori opum accessione ampliauit, pro octingentis milibus ad duodecim sestercium summam euectum. Congiaria populo frequenter dedit, sed diuersæ summæ modo quadragenorum, modo tricenorum, nonnunquam ducenorum quinquagenorumque nummorum, ne minoribus quidem pueris (quod sua interim non caret laude) præteritis, ad quos eius munificentiæ fructus exten-

extendi ſolitus non erat. Neque in hac tantum re opulentiæ eius exundarunt flumina. Siquidem annonæ difficultatibus populi laborantis penuriam, ſæpe leuiſſimo, interdum (prout neceſſitas vrgebat) nullo precio viritim admenſo frumento placauit. Et (quis credat?) præter tantum opum in Rempublicam, in ſplendorem, ac magnificentiam vrbis, quam ſe ex latericia marmoream relinquere iactitabat, præter creberrimas largitiones, præter ardua periculoſiſſima ſumptuoſiſſimaq; bella, quæ inexhauſtos ac incredibiles opum cumulos conterere facile poterant, teſtamento populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies ſeſtercium legauit. Pretorianis militibus ſingula milia numorum, cohortibus vrbanis quingétos, legionarijs trecentos, quam ſummam quanquam confiſcatam repoſitamq; habebat, etiam repræſentari iuſſit. Quem non tantarum opum hic admiratio capiat?

De Aureliano Imperatore.

IVngendus eſt Auguſto quanq̃ ætate inferior Aurelianus. Hic vacillantibus iam Romani imperij neruis diuitiarum tamen in populum diſtributione non admodum Auguſto conceſſit. Siquidem quod nullus ante opum fiducia fretus tentarat, cæteris imperatoribus omnibus aut oleum aut panem, aut porcinam largientibus, hic ne quid populi voluptatibus deeſſet vinum quoq; præbuit. Quod vt perpetuo fieret, Hetruriæ loca quæ ſylueſtribus agris ſummæ fertilitatis ad alpes vſq; marinas excurrebant, quoniam vitibus ſerendis maxime idonea cognouerat, coemere ſtatuit, montes ſyluaſq; incultas, fœdoque ſitu ſquallentes, translatis eo captiuorum multis agminibus vitibus excolere. Harum beneficio quotannis largiſſime nullo precio populo vinum ſtatuit emetiri. Quin & hic quoq; congiariorum profuſione populi egeſtatem ter leuauit, eiuſdemq; nuditatem veſtium adiumento fulcijt, ne in vllo benignitatis genere officium ſuum claudicare videretur.

De

De Pertinace Imperatore.

HElij quoq; Pertinacis opes congiariorum largitione enituere, quem populo centenos dedisse denarios, pretorianis militibus duodena promisisse milia, dedisse sena autores testantur.

De Alexandro Seuero.

QVid nunc Alexandrum Seuerum, referam, cuius divitiæ quoq; huic loco interseri suo iure merentur, qui Congiarium populo ter dedit, Donatiuum militi ter, & præter congiarij pecunias carnem populo diuisit, ne dicam interim immensas opes quas in pauperum vsus quotidie elargiebatur.

De M. Antonio Philippo, Antonino Pio, Commodo, Seuero Aphro Imperatoribus Romanis.

ANtoninus Pius bis congiarium populo, toties donatiuum militibus dedit. Vini, olei, tritici difficultatem ærarij privati damno sæpius sedauit. M. Anton. ter largitione hac insignis apparuit. Commodus quoq; septingentos denarios in singulos effudit. Non autem tu Seuere Afer huius rei finem claudis, quod cæteris omnibus hac in re inferior extiteris, sed vt quem admodum narrationi huic dederunt clarissimi initium, ita & tu pari exempli magnitudine eidem quasi fastigium imponas. Quis enim non inter præclarissima numeret potentiæ exempla, quod diligentissimam semper annonæ curam habueris, congiarium diuiseris, & (quod diuini ingenij, diuinæ potentiæ argumentum erit) moriens septem annorum canonem reliqueris, vt viginti quinq; modiorum frumenti milia, (o potentiam monstrosam) singulis diebus expendi possent. Sed de his hactenus, cum omnia exequi non minus superuacuũ sit quam infinitum.

DE MEMORANDIS PRINCIPVM VETERIS ÆVI THESAVRIS.

De

De Dauide rege & Propheta.

AQVO potius quàm à Dauide qui ſpecioſiſſimos & regis locupletiſſimi, & prophetæ ſanctiſſimi diuinæ vocis encomio obtinuit titulos regum principumve opes deſcribendi initium deſumam? Hic cum templi domino ædificandi prouinciam in filium qui in regnũ ſucceſſurus erat, Solomonem tranſtuliſſet, iſque operis ſumptu magnificentiaque obſtupefactus terreretur huiuſcemodi voce filij trepidationem caſtigauit, Confortare & viriliter age, ne timeas neq; paueas. Ecce ego in paupertatula mea præparaui impenſas domus domini, auri talenta centum milia, & argenti mille milia talentum, quam ſummam Budaica ſupputatio decies maiorem Darianis opibus. Græciæ toti (in ſuarum rerum laudem effuſiſſimæ) decantatiſſimis, conſtituit. Atque interim templi ſtructuræ ſoli tantum pecuniarum deſtinatum fuiſſe veriſimile eſt, ſepoſitis ingentibus theſauris belli gerendi neruis, quibus regiam dignitatem vir bellicoſiſſimus, in tanto rerum motu, in tanto irritatorum vicinorum odio, ſi quid accideret, tueri poſſet. Fœlix opibus fuit quidem, at prophetiæ dono quo inter cæteros eminuit, fœlicior.

De Solomone Hyeroſolymitarum rege ſplendidiſſimo.

SEcundus in hoc proſcenium Solomo prudentiæ opulentiæque dotibus facile princeps progrediatur. Prudentiam vtpote rei quam agimus minus accommodam, mittemus. Ad opes ſtilus reuocabitur. Hic quod diuini etiam organi vox proclamat, vltra omnes terræ reges diuitiarum honore fuit inſignitus, quo regni Iudaici habenas moderante, nunquam à quoquam vſurpata vox, libere fuit iactata: Eandem argenti & lapidum, Cedrini ligni & Sicomori, quam vbertim agreſtia proferunt loca, fuiſſe æſtimationem. Quotannis huic præter vectigalia negociancium, regnumque ſubiectorum tributa, (quorum ſumma nulla ſupputatione circumſcribi poteſt) auri

pondus ſexcentorum ſexaginta ſex auri talentorum adſcribebatur. Poſſeſſa vero ab eo decem milia talenta auri, neque hac inferior argenti ſumma. Bijugum equorum quadragena milia, biſſena equorum iam pugnam meditantium parata in ſtabulis fuere. Fecit ex auro puriſſimo ducenta ſcuta, cuiuslibet operi ſexcentis auri ſiclis in laminas extenuati, deſtinatis, trecentaſque peltas eiuſdem metalli, in quarum ſingulas, trecentæ auri minæ inſumptæ, omnia vaſa vſui quotidiano deputata aurea, Fecit & ſummæ magnitudinis thronum ex ebore, quem auro obductum roborauit, nullis etiamnum terrarum regibus imitatum opus. quid autem inani opera in diuitiarum numero circumſcribendo moleſtamur, cum templi ædificati ſplendor, (quem omnia admiratura ſunt ſæcula) inexhauſtæ huius opulentiæ certiſſima præbeant argumenta. Cuius deſcribendi ex veterum monumentis laborem alibi fortaſſe nobis deſumemus. Fœlicem hunc cui diuitias pari ſapientia coniungere à ſuperis propitijs conceſſum eſt.

De Dario Perſarum rege.

COmmemoratione Iudaicorum regum, ad Perſicæ opulentiæ exempla deducor. Inter quæ memoriæ ſe prima Darianæ potentiæ offert conſideratio, è cuius regno poſt turpiſſimã in campis Adraſtis ſexcentorum milium fugam, poſt eodem dedecore notata quadringenta hominum milia, centum lxxx. talentorum milia Alexandrum victorem tranſtuliſſe produnt, Neque id mirum cuiquam videri debet, cum ex vna Aſia vectigali quotannis quingenta ſeptuaginta quatuor talentorum milia reciperet. His vererer vt hominum fides accedat, niſi maxime fide dignorum ſcriptorum autoritate ſuffultus, tantæ rei, omnis mendacij ſuſpitionis ſecurus, auſim decantare præconia.

De Cyro Perſarum rege.

ADmirabiles ac propemodum incredibiles Cyri (quem avus inſom-

insomnij prodigijs admonitus regij pecoris pastori, feris obijciendum tradidit)diuitiæ extitere,quem quoq; in eam claritudinem fortunæ arbitrium euexit,vt Babylonem orbis mira culis adnumeratam , bello tentatam etiam vi cœperit. De quo aliàs. Huius opes, (Mida Phrigum,Crœso Lydorum insignis opulentiæ regibus domitis,) in vnum redactæ quingena argenti talentorum milia effecerunt. Quorum æstimationem ad ad nostratis pecuniæ æstimationem calculo redactam , quadringentorum millionũ coronatorũ qui supputandi molestijs sese intricarunt efficere numerum profitentur,quid hic dices? fœlicior ne tantis fortunæ blandimentis lactatus , atq; in eam potentiæ opulentiæq; admiratione euectus , à fallaci,eiusdem vultu in eam mortis ignominiam coniectus infœlicior fuerit.

De Sardanapolo Assyriorum rege.

CVius animum non ingens admiratio subeat , muliere quauis corruptiorem regem,inter scortorum greges muliebri lasciuia eminentem , purpuram colo trahentem , pensa inter virgines partientem , eam pecuniarum congeriem repositam habuisse,quæ cum fortissimorum moderatissimorumq; regum diuitijs paria facere , interq; opulentissimos thesauros numerari possent. Syrorum talentorum auri decem milliones,nostrate numismate coronatorum sexdecim milia,septingenti quinquaginta milionum.Et hæc quidem auri summa,ad quã si argenteæ gazæ κειμήλια conferes,Assyriarum opum æstimatio ad quadraginta septem milia millionum , cum septingentis quinquaginta milionibus librarum turonicarum & eo amplius progredietur. Quos thesauros omnes ab Arbacto præfecto victus,simul cum corpore flammarum voracitati tribuit. Effeminatiori ne fuerit vita,an morte viriliori quis dixerit?

De Crœso Lydorum rege opulentissimo.

NEquaquam Crœsi diuitijs similis narrationis honor negãdus est,cuius opulentiam etiam Adagio,vulgata loquentium con-

um consuetudo memoriæ cõsecrauit, vt Lyd. Crœsi Gazę, maximã inusitatamq; opum vim denotaret. Et quanquam certus numerus, (quod equidem sciam) à nemine tradatur, sagaci tamen ingenij inuestigatione, coniecturarumque verisimilium præsidio, ad penitiorem eius cognitionem penetrabimus. Quomodo enim non diuitijs clarus fuerit, qui solus Cyrum inuictæ potentiæ regem sine terrore audiuit, obuiam ei iuit, restitit, conflixit, qui post sumptuosissimum bellum tandem victus, victoris ærarum plus minus quingenis talentorum argenti milibus locupletauit. Opibus fœlix fueras, ni fallacis fortunæ blandimenta, tanta infœlicitate regni tui exitum onerassent, expertusq; esses prudentissimum hoc à Solone prædictum oraculum, οὐθένα εὐδαίμονα εἶναι πρὶν πρὸς τὸ τέλος τοῦ βίου ἀφίκη, καὶ τὸν θάνατον ἀκριβῶ ἔλεγχον εἶναι τῆς εὐδαιμονίας.

De Priamo Phrygum rege.

QVID decantatius decennali Troianorum cum Græcorum proceribus, ob hospitij iura adulterio per Paridem temerato bello? Quæ vnquam belli tempestas latius longiusq; sæuijt? Quæ vnquam vndatio validius regni alicuius aggeres pulsauit? Eam tamen ferocientium bellorum rabiem, diuitiarum mole obiecta ad decem annos vsq; ab irruptione cohibuit, Quam etiam frustra oppugnaturi vndiquaque fuerant, ni viribus diffisi, ad cuniculorum fraudes fraudulentaque consilia se conuertissent. Nunquam maiore impetu arma inter se collisa crepuere. Pertinaciori studio haud temere aliàs in mutuas cedes certatum est, Vix aliàs campus densiores hominum cateruas, vehementiore cedis rabie vidit exagitari, quæ omnia perpetua interruptaq; serie, fœliciter scaturientium opum beneficio ad decem annos vsque, summo cum omni seculorum stupore cucurrere.

De Mida Phrygum rege.

HVius etiam diuitiarum admiratio, simplices vulgi animos ad fa-

ad fabularum figmenta traduxit. Cum enim fontes vnde tanta pecuniarum copia ſcaturiret, ignorarent, fabulam excogitare vrgebat neceſſitas: Apollinem ſcilicet comiter ab eo hoſpitio acceptum, eius humanitatem hoc premio fœneraſſe, vt quæcunque is manibus tractaret, veteri depoſita & forma & materia, in auri ſplendorem conuerterentur. Huius calamitatem immenſis auri argentiq; ponderibus Cyri theſauros ampliaſſe iam dictum eſt, vnde facile horum æſtimatio aliqui ſumi poterit. Nos enim aliò torquere vela propoſiti ratio admouet.

De Alexandro Magno terrarum domitore.

QVid de Alexandro dicam? aut qua verborum gratia inuictæ huius potentiæ theſauros efferam, quibus immaniſſimas maximeq;, barbaras totius orbis gentes grauiſſimo horrore latem terruit, quorum ſplendor quantumuis longe poſitorum oculos lumine perſtrinxit, quorum fama aut pacis fœdera conditioneſque, aut belli inducias, à bellicoſiſſimis etiam extorſit. Neq; immerito. Inuiſam enim inauditamq; à gentibus regibuſq; inter initia ſurgentis Macedonici regni, omnibus, communibus viribus eum terrorem tanquam commune aliquod incendium reſtinguere conantibus, theſaurorum vim in cuiuslibet fortunæ euentum reportauit. Summa (vt ſcriptores tradunt,) centum milia, ſeu decem myriades talentorum atticorum fuit, aut ſi mauis ſexaginta milliones coronatorum. Quanta interim omni virtuti, omni officio, omni occaſioni expoſita huius liberalitas admirationem ſibi merito vſurpabit? Ariſtotelis peripateticæ ſectæ principis, doctrinæ virtutiſque admirationem octoginta talentis, hoc eſt quadringentis octoginta coronatorum milibus honorauit. In Bucephali emptionem talenta tredecim ſeptem milium & octingentorum coronatorum precium profudit. Et præter belli cum totius orbis viribus geſti ſumptus, triginta puerorum milia, ſtudio diſcipliniſque

incitatus. Rex incertum solutionisne diffidentia, an veteri fortitudinis nobilitatisq; gloria, aut rei indignitate motus, scelus ne pristina dignitate indignum conspiceret, veneno, aut vt quidem arbitrantur, maris strangulatus vorticibus fatum accelerans, simul cum vita & opes amisit, quæ Porcio Catone principe liburnis per tyberinum ostium in vrbem inuectæ, copiosius quam vllius triumphi opes ærarium locupletauere.

De Asiæ diuitijs.

TOT talentorum millium summa imperata Cyprium regem ad immaturam degenerem miseramque mortem rapuit. Sed ô fœlicem Asiam quam nulla exactionum atrocitas ad tam desperata consilia adegit. Hac Alexandrũ eius iam littora nauigatione in conspectu habẽtem, nimia sua fertilitate opulentiaq;, proprias opes impartiri fecit, opinantem Asiaticum aurũ cupiditati tantæ, tantisq; operum cœptis, quibus vix quicquã par reperiri posse videbatur, suffecturum. Hæc sæuissimis Antonij exactionibus ad talentorũ viginti myriades, atrocissimæ à L. Sylla ob defectionis à Rom. fide suspitionem, mulctæ viginti miliũ talentorum, hoc est duodecim millionum coronarum, non succubuit. Hæc pecuniarum cupidissima Gallorum pectora, qui exuberante in patria populi multitudine, siue externorum diuitijs adducti, nouas sibi sedes querentes, in eam delati fuerant, diuitijs satura domum remisit. Cuius auri moles fuit pondo centum decem milia, hoc est (vt plerique volunt) aureorum solatorum centum octoginta milliones, vna cum centum viginti quinq; millibus, argenti aũt pondo quinquies decies centum milia, quæ summa, quadraginta milliones, centum viginti quinq; milia solatorum aureorum conficiet, vtriusque autem metalli summa si coniungas ducentos viginti milliones, ducenta sexaginta quatuor milia solatorum reperies. O dijs etiam ipsis inuidiosam opulentiam.

niſq; excolendos aluit, quorum virtus, ijs quos iam diu bellicis laboribus fatigarat, ſuccederet. Quid autem duo talentorum milia referam, quæ Theſſali miſſionem Dario capto conſecuti, præter ſtipendium accipere? Sed quanquam inani opera me videam moleſtari, qui tam late patentem vberemq; diuitiarũ ſegetem certis quaſi claſſibus comprehendere laborem, non tamen mihi temperauerim, quin ſpecioſiſſima munificentiſſimaq; aliquot potentiæ exempla adijciam. Quid enim de conuiuio regali luxu prorſus diffluente Macedonibus exhibito dicemus? in quo omnes ad nouem milia, aurea phiala ad dijs libamina facienda donati referuntur. Quid de immenſa auri vi, ad nouem milia, octingenta & ſeptuaginta talenta, quam creditorum vexationibus, moleſtisq; exactionibus è ſuo ærario clargitus eſt. quid an nõ de Epheſtiono eximio Alexandri amico dicam? quem quum vivum dilexiſſet, mortuũ ſepulchro cuius ſtructuræ duodecim talentorum milia deputata ſunt, decorauit. Quæ autem oratio in omnis generis officijs diffuſam eius opulentiam diuitiaſque, non dicam merita dignitate, ſed vel ſucciſa narratione comprehenderit? quas mulorum iuga dena milia, quinq; cámelorum vexiſſe, hiſtoricorum fides adprobat. Sed narratio finem inueniat, cum huius diuitiæ nullo ſumptu, nulla munificentia, nullis largitionibus, nullis operũ ſplendoribus, vllam ſibi metam inuenerint. Sed hanc tantorũ bonorum fœlicitatem vt te adpræhendiſſe merito lętatus es ſic eandem tam exiguo amiſiſſe tempore merito dolebis.

De Ptolomæo Cypri rege.

MAior de Ptolomæi diuitijs opinio quam ipſæ diuitiæ fuerunt, Tanta enim harum fama fuit, vt victor gentium populus donare etiam regna conſuetus, P. Clodio tribuno duce, ſeptem talentorum milia exegerit, aut vivi regis, eiuſdemque ſocij bonorum confiſcationem mandauerit, diuitiarum æmulatione citra omnem controuerſiam, ad tam duras pacis leges incita-

De Cleopatra Ægypti regina.

SEd Cleopatræ diuitiarum luxuria magis etiam eſt admiranda, quæ incerta ambiguaq; Romani imperij ſpe, præter multa opulentiſſimaq; aliarum rerum ſubſidia, pari eius quam Aſiæ, defectionem molienti mandarat populus Romanus talentorum ſumma, Antonij partes & fouit & viuit. Quæ autem ſumptuum magnitudo illius theſauros exhaurir et, quæ vnioné centies ſeſtercijs à Planco luxuriæ arbitro æſtimatum, noſtrate pecunia ſeptuagenis librarum flandricarum milibus, nongétis, & ſeptendecim. ſola luxuriæ cum Antonio æmulatione, vino diſſolutum, (prô ſcelus) execrabili ventris ingluuiei immiſit, parata etiam (ni ab certaminis arbitro victoria adiudicata fuiſſet) & alterum eiuſdem precij ab aure detractú, in ſimilem conuertere nequiciam. Sed tu quantum opulentia hac tua gloriæ obtines, tantum fœdiſſima hac tua luxuria infamiæ tibi conciliaſti.

De Ægyptiorum diuitijs.

ÆGyptus arctiſſimis terræ limitibus patens, quot quantis, & quam præclaris opulentiæ exemplis clara, hominumq; doctiſſimorum præconijs eſt celebrata: Nulla memorandis ſtructurarum operibus clarior, nulla in deorum officia ſumptuoſior, nulla egregijs immortalitateq; dignis exemplis hac inſignior apparuit. Quæ omnia ſuo loco, in ordinem redacta, quantum per hiſtoriarum monumenta licuit, reperies. Hæc Romanorum armis ſubiecta, vberrimam ſplendidiſſimamque pecuniæ meſſem quotannis ad duodecim talentorum milia quadraginta, noſtra æſtimatione ſeptem coronatorum milliones & quingentos in Romani fiſci late patentia horrea mittebat. Quæ etſi ingens ſit pecuniæ ſumma, Ægyptiarum tamen opum claritudine indigna propemodum videtur.

De Prothei Ægyptij regis filio.

Omnes

OMnes omnium diuitijs inſignium regum opulentiam, poſt te longe fueras relicturus, ſi ijs quibus cæteri liberalitatis vacaſſes officijs. Nunc aút etſi diuitiarum gloria clarus fueris, vtpote qui quadringenta talentorũ millia moriens reliqueris, tamen quia ſordide per omnem vitam vectigalibus tributiſq; colligendis exigendiſq; intentus incubuiſti, nulliſq; neq; deorum muneribus, neq; hominum liberalitati vacaueris, meritò citra nominis honorem tenuiſſima laude celebratus abibis. Si quam tibi opum ſplendor nobilitatem adiunxit, eam indecorę regiaq; beneficentia planè indignæ ſordes derogant.

De Perſeo Macedonum rege.

QVis dixerit Perſeum Philippi ſecundi Macedoniæ regis filium gratioribus ſucceſſibus fortunæ blandimenta fouerint, an maiori ignominia adfecerint. Agitatum diu à patre cum Romanis bellum eiuſdemque morte iam ſopitum, hic exuſcitat bellico fretus apparatu, quem iam pridem mortuus pater reliquerat. Quid ni iuueni gloriæ æſtu flagrantiſſimo, cuius præcordia iuuenili temeritate calebant, tanta rerum copia, animos tolleret, cum præter Macedonicum inuictæ opinionis exercitum, copijs innumeris ad decem annos alendis ſumptus à patre paratus, huic in theſauris & horreis fuerit? Hunc tamen quemadmodum fortuna ampliſſima diuitiarum gloria in ſublime euexit: ita paulo poſt, turpiſſimo lapſu à tantis ſplendoribus præcipitauit, vt regnum quod ſceleribus ſubito paratum erat, ſubito quoque dijs ſcelera vindicantibus, amitteretur.

De Tectoſagibus Galliæ populis.

COgit me opulentiæ ſplendor, neque veſtri in hoc præclariſſ. principum ordine, intactam relinquere memoriam, quanquam huius exempli magnificentia Aſiæ magis diuitias celebret, tamen quoniam quæ victoris virtus ſibi bello parauit, poſſeſſorem mutant, indignum viſum eſt vos veſtro honore frau-

re fraudare, non quo me veſtri rapacitati patronum conſtituam, ſed vt ne ego vobis ſi quam in hac re admirationem obtinetis, negligenti ſilentio denegare videar. Incredibili enim auri argentiq; vi fama nomenque veſtrum celebratur, cuius ſumma aurea centum decem millia pondo, argentea quinquies decies centena millia pondo conſtituebat. Quæ diuitiarum portenta ſi diligenti ſupputationis examine in vnum redigas, ducentos viginti milliones ducenta ſexaginta quatuor millia aureorũ ſolatorũ cum ſexcentis efficere comperientur. Quid vnquam terra opulentia hac opulentius, ſplendore hoc ſplendidius, magnificentia hac magnificentius habuit?

De Veientum incredibili opulentia.

AGE vero, quando à regnorum exemplis ad priuatarum gentium opes nimia admiratio nos deduxit, non abs re fieri cẽſeam, ſi Veientes eadẽ ſtili tenuitate, qua cęteros omnes quodammodo celebrauere, neq; id opinor indigne ferent, cũ horum res ad prodigium vſque ſplendidiſſimæ, ſplendidiſſima quoq; ampliſſimaq; narratione decorari mereantur; nobis enim vndique certo quodam verborum compendio vti ab initio eſt propoſitum. Hi poſt decennalem obſidionem cum cuniculorum fraudibus, artibus Romana certe virtute indignis capti eſſent, tantas opes victori populo reliquerunt vt & decimæ Pythio Apollini vouerentur, totaq; vrbs Romana ad prędæ direptionem euocaretur, cum qui vrbem ceperant, aurum capere non potuerint. Tanto illis fuiſſe facilius vrbem capere, quàm diuitias auferre quæ ſecula non admirabuntur?

De Antiocho Syri rege.

ANtiochi Parthis bellum inferentis exercitus, tanta opum copia abundauit, vt & gregarij milites caligas auro fingerẽt, aureos clauos crepidis ſubiectos habuerint, proculcarintq; materiam, cuius impotenti deſiderio cæteræ gentes in furias ferrum

ferrumq; amentes feruntur. Ad culinæ vſum huic argentea fuerunt inſtrumenta, tabernacula textilibus ſigillis adornata ſteterunt, quaſi non animi fortitudine, manusque promptitudine, ſed opum luxuria bellum conficeretur. Ferunt hunc cũ inuictæ Roman. potentiæ bellum illaturus eſſet, exercitũ magnificentiſſimo armorum apparatu inſtructum (cum plærique haſtis ſcutiſq; aut aureis, aut argenteis eniterent,) circumduxiſſe, Hannibali oſtentaſſe, rogaſſeq; num hæc Rom. ſatis eſſent futura, cui irriſorie Hannibal reſponderit, Etiam etſi auari ſint admodum. Hæc fœlicis ac vernantis illius ſæculi præclara ſunt opum argumenta, ſed auaro hoſti præda magis optabilis, quàm vlla ad vincendum ſtrenuo mora.

De Ptolomæo.

CLariſſimo quoq; inundantium opum exemplo Ptolomæus ſua tempora ornauit, quem Varro grauiſſimus certe; hic incredibilis propemodum rei adſtructor, tradit, Pompeio non longe à Iudæa res gerente, octona equitum millia, propria pecunia ſuſtinuiſſe, mille conuiuas aureis potorijs, cæteris vaſis, ferculiſq; mutatis ſaginauiſſe.

De Elyſſa.

QVO piaculo clariſſimo Tyriorum ſanguine ortam, quæ æmulæ Rom. Imp. vrbis auſpicatiſſima iecit fundaméta taceam? Hæc Sichæo Herculis ſacerdoti, qui honos ſecundus à rege erat, nupſit, cui magnæ quidem, ſed diſſimulatæ opes erãt quaſq; non tectis ſed terræ latebris regis metu crediderat. Re tamen vulgi rumore ad regem delata, cœca tantarum opũ cupiditate in furias actus, contra iuris humani reuerentiá, contra ſanctiſſima cognationis vincula, omni pietatis ratione poſthabita, auunculum eundemq; affinem trucidat, eaſdem quoq; machinas in ſororis vitam ſtructurus, ni matura fuga, futurũ declinaſſet periculum. Quæ opibus iam olim ſpe à fratre deuoratis, in naues delatis, Africæ littoribus adpulit, incolasq; mutuarum rerũ commercio gaudétes in amicitiam ſollicitat,

locoq; vrbis ſtatuendę empto, ſolo opum præſidio fulta etiam Roman. imperio tremendam vrbem Carthaginem condidit.

De Mithridate Ponti rege.

TOT cladibus oppreſſus Mithridates, Syllæ fœlicitate, Luculli virtute regno anguſtiſſimis limitibus circumſcripto, quanta tamen (dij immortales) diuitiarum gloria, etiamnum infortunijs hinc inde eundem ſepientibus, inſignis apparuit? In fugam actus, copias auro, argento, veſtibus multi precij copioſiſſimè per itinera ſparſis periculo exemit, ardentes hoſtiũ animos preda temerè diſiecta, ab inſecutione auertit, vt quam virtus incolumitatem negarat, diuitiæ præſtarent.

DE PRIVATORVM QVORVNDAM OPVLENTIA.



EMPVS erit priuatæ quoq; opulentię aliquot ſubijcere exempla; ne omnem auri argentiq; vim in ſola regum, principum aut Cęſarum abijſſe ęraria quis ſuſpicetur, ſubiectis interim aut grauiter eſurientibus, aut incommode vitam exigentibus, vt ciuium penuria regum opulentia fulta, & calamitas publica in priuatam verſa vtilitatem videretur.

De M. Craſſo.

MAioribusue abundarit diuitijs, an maiori habendi cupiditate flagrarit homo inſatiabilis auaritiæ Craſſus, tot ſeculis incertum, nondum definitum καὶ ἀκίνητον παρέμενε. Huius animum diuitijs inſatiabilem tanto viro indigna vox prodidit: Neminem ſibi videri diuitem, niſi cuius opes annuo reditu legionis alendæ ſumptus tolerauerint. In agris ſuis ſeſtercium viginti millia poſſedit, vix credibiles noſtris his temporibus opes, quæ noſtrate ære quinquagies centena milia aureorum coronatorũ, regios prorſus theſauros efficiebant. Quas quam honeſtè pararit, nemini incertum. Nempe ex ciuilium bellorũ incen-

incendijs, nocentum pecunioſorum ſcelere, iudicij corruptela corrigendo locupletum proſcriptione, municipum cęde, delictum, decretum. aliena, ſuam ſententiam, forum, domum, vocem, ſilentiũ, deniq; omnia venalia habendo. An enim honeſtis artibus, ex trecentis talentis quæ hæreditario iure patris morte illi ceſſerant, ad tantam opum vim, ſeptem millium centum talentorum, conſecrata interim Herculi decima parte, publico epulo ad plebis fauorem conciliandum tribuſque numis viritim datis, perueniſſet. Sed bene habet, quod qui aliorum ſanguine ſe imbuerat auaritia impulſus, proprio tandem eadem inſtigante turpiter fœdatus iacuerit.

De M. Tull. Cic.

CRaſſo populi opiuione longe ditiſſimo M. Cicero non parum ab ea diuitiarum mole ſemot9, propria opinione longe ditior extitit. Illius enim pecuniæ augmentum minori cupiditatis flagello præcordia pulſabat, ſequebaturq́; (quod dici ſolet) maior creſcentem cura pecuniam. Hic centenis quæ ex predio ſumebat ſeſtercijs contentus, plura habendi cupiditati viam præcluſit. Cui9 diuitiæ etſi præ cæterorum Romanorum opibus minime claræ memoratæq; fuere, noſtro tamen huic æuo ingentem admirationem ſummumq; opulentiæ veteris daturæ ſunt argumentum, cum quæ tunc obſcuræ, nullaq; hominum fama iactatę iacuere, nunc propemodum (ne nimium dicamus) ſplendore nos terreant. Predia habuiſſe duodeuiginti minime oſcitabundo ingenio ad Atticum ſcriptas epiſtolas legentibus perſpicuum erit. Horum nomina aliquot quantum memoriæ beneficio adiuuor ſubijciam. Tuſculanum doctiſſimo Tuſculanarum quæſtionum opere nobilitatum, Lanuuinum, Aſturicenſe, Phormianum, Puteolanum, Alſienſe, Arpinate, Pateonum, Pompeia, &c. Quin non parum huc facit Terentiam viri ab exilio in vrbem reuocati ſorti congratulantem, ſexdecim curribus Brunduſium vſq; per tot locorum interualla

terualla occurriſſe. Egregium ſanè diuitiarum argumentum quæ (viro ex quo ſolo tota familiæ pendebat fortuna amoto, tot tantiſq; inuidorum arroſionib9 conciſæ) ijs viribus ſubſtiterint, quæ amicis lætitiam, inuidioſis mærorem, nobis etiamnunc admirationem non intermorituram reliquerint. Fœlix heu nimium fœlix, ni tuam virtutem filij improbitas inſano luxu turpiſſimisque ſceleribus commaculaſſet. At te tua virtus conſolabitur.

De Qu. Cicerone. M. Tull. Cic. fratre.

NI me properantem maiorum rerum ad ſe traherent exempla, nonnihil in Qu. Ciceronis diuitijs ocij temporiſq; ponerem, quas nunc curſim tanquam per tranſennam inſpiciendas proponam. Eæ autem quo dilucidiore apparebunt argumento quam pompoſiſſima villæ in Arcano ſtructura, cuius ſplendor etiam ipſius Ciceronis oratione celebrari meruit. Quæ is de ea memoriæ prodidit, ſubijciendum duximus. In Arcano (inquit) ad quintum Idus Septembres, aquam quam ibi ducebant, non longe fluentem à villa, vide, nihil ei reſtabat, præter balnearia & ambulationem, & auiarium. Summam dignitatem pauimenta porticus habebāt, quod mihi deniq; apparuit, poſtquam & ipſa tota patent, & columnæ poſitæ ſint. Cameras quaſdam non probaui. mutariq; iuſſi, quo loco te in porticu ſcribere aiunt, ut atriolum fiat. Equidem hoc quod melius intelligo adfirmo, mirifica ſuauitate te villam habiturum, piſcina & ſalientibus aquis, additis paleſtra & ſylua viridicata. Quanquam ea villa quæ nunc eſt, tanquam Philoſophia videtur eſſe, quæ obiurget cæterarum villarum inſaniam. Hactenus Cicero. Videndum eſt autem ne quam cæterarum villarum inſaniam caſtigaturam eſſe dicit, nunc victrix è ſublimī noſtras, æmulationis ſecura, ridere merito poſſit, vt quæ ſplendidiſſimo eo ſæculo, nimium ſtructuræ luxum caſtigauit., nunc ſorte commutata mendicitatem exprobet,

De

De Plinio Iuniore.

STatutum eſt ex ſimilibus villarum inſanis ſtructuris, & Plinij ſecundi opulentiam perſcrutari. Quo enim certiore argumento, quàm ex ijs quæ præter familiaris rei quotidianos ſumptus, non tam ad neceſſitatem, quàm ad euanidã immortalitatis conſequendę titillationem, inanemq; oſtentationem ſibi excreſcens illa diuitiarum luxuria finxit, opulentiæ exempla colligemus? Omittam enim nunc ampliſſimam pecuniæ ſummam, qua Quintiliani filiæ nuptias tanquam parens alter & fouit & ornauit, quinquaginta millia numũ, qua ampliorem multo collaturus erat, ni munuſculi vt ipſe vocabat mediocritate impetrare ſe poſſe ſperaſſet, ne recuſaret. Omittã ducenta numũm millia, quę pro acceſſione agrorum precij, contemptim quodammodo neglexit. Nec tricena ſeſtercia quotannis ad patriæ vires refocillandas, ſtupendas noſtro hoc æuo diuitias dicam, quæ quidem omnia multum venerationis à nobis iure ſuo exigere videntur, ſed villarum gratiam quarum quaſdam proprio ſtilo celebrauit, in auditoris animum reuocabo, porticuum, Atriorum, Arearum, Cauædiorum, Balneorũ, Hypocauſtorum, Turrium, Piſcinarum ſumptus, nitorem & elegantiam. Quorum omnium qui exactam requiret deſcriptionem cum autore ipſo, qui de induſtria in ijs depingendis laboraſſe videtur, angulos omnes, vigili memoria oberrabit, non dubium erit quin ſumma in ijs opulentiæ argumenta reſidere ſit comperturus. Nomina quæ ſe inquirenti obtulerunt hæc ſunt. Thuſci, Tuſculani, Tyburtini, Præneſtini, Laurenti, Larium, &c. Sed extra inſtitutæ orationis anguſtæ fines euagamur. Quare retro vela vertenda, laxiuſque oberrans materiæ luxuries, tanquam frenis iniectis eſt cohibenda.

De Æſopo Tragœdo.

NE autem incredibili hac magnificentia cuiuſquam animus in vanitatis ſuſpitionem tranſuerſus agatur, non abs

abs re fuerit quæ de prodigiosis Æsopi Tragœdi Histrionica arte corrasis opibus,scriptores literis ad posterorum transmiserunt memoriam, huc allegare, quæ & nos, nisi sanctissima autorum fide atq; autoritate moueremur, deliramenta anilia prorsus sapere clamitaremus.Centum sestercijs(vt interim reliquarum rerum luxus taceatur) patinam sibi coemit auream nulloq; non luxuriæ genere per vitam cum diffluxisset,moriens eas tamen filio opes reliquit, vt vniones vino dissolutos (pro scelus!) conuiuarũ delicijs exhibuerit,indignum ratus ni pro inusitatis facultatum montibus, nouo inusitatoq; cibi genere hospitum densaret ingluuiem. Quantum veræ laudis ea profusio honestis vsibus quorum nunquam non obuia est materia deputata conciliasset At tantæ ineptiæ ne dicam insaniæ diutius immorari nos piget.

De Lucullo Rom.

VEram huius rei gloriam Luculli ingentis spiritus viri opulentia obtinuit, qui licet non tanto studio diuitiarum famam adfectarit,diuitijs tamen perbeatus extitit. Hanc rem nunquam satis laudata,incorruptissimi pectoris vox prodidit. Cotta enim collega terra marique profligato,inq; Calcedone concluso,cum milites ad amplioris gloriæ materiam Mithridatis regnum, collegæ salute neglecta inuadendum creberrimis monitis stimularent, respondit se vnius Romani militis incolumitatem tueri malle,quam splendidissimas hostium res sibi vendicare. Hic ex senatusconsulto ad classem in Mithridaticum bellum parandam tria talentorum millia decreta repudiauit,suisq; sumptibus tantæ molis facinus exequutus est, vt non temere vulgo numinis ope tantas maria terrasq; obsidentes copias dispulisse hunc sit creditum. Mirabile quid,omniq; ætati inauditum huius viderunt tempora, tanta omnium rerum copia adfluentem exercitũ, vt bos drachma,mancipium quatuor drachmis venderetur, reliquaque preda aut

passim

paſſim relinqueretur, aut neglecta diſſiparetur, confertis iam omnibus omnium caſ... -um cellis, vt amplioris predæ capiundæ non ſufficerent. ...um iam ſenex procul à bellorum tumultibus ſemotus, otio ſtudioſæq; quieti ſeſe dediſſet, præcipue exuberans illa diuitiarum inundatio, quæ ſe hactenus certo quodam continuerant alueo, veteris Parſimoniæ ruptis aggeribus late efferbuit, vt non immerito ex Togato Xerxem Tubero ſtoicus eum adpellarit. Hortos multis poſt ætatibus inter ſumptuoſiſſima regum opera numeratos, exornauit. Opera iuxta mare circa Neapolim magnificentiſſime conſtructa? maritimas ædes, easq; nullo non luxuriæ ſplendore expolitas, quibus maris ſinus piſcoſosq; riuos circumduxerat, quæ eloquentia digne prædicet? De Tuſculano vero ſpacioſiſſimis thalamis, porticibus, ambulationibusque exornato, è quibus longe lateq; in campos ſubiectos proſpectus patebat, tacendum ſatius eſſe duxi, quàm parum dicere. Immenſam quoq; diuitiarum eius famam hoc quoq; adprobat, quod Prætori exhibendi ſpectaculi gratia clamides centum poſtulanti, ducentas purpurei coloris tāquam ex immenſo κειμηλίων aceruo deſumptas dari iuſſerit. Nunc qua prædicatione narrari, quo animi ſtupore audiri meretur, incredibilis in quotidianas menſas inſumpta opum vis. Erant huic diuerſa conuiuis accipiendis cœnacula, ſingulis ſumptus, ſplendor apparatuſq; certus ſigillatim deſignatus fuit. Quorum quod Apollinis titulo inſcriptum erat, quinquaginta milium cœnam ſibi vendicabat. Cuique ſuus deſignatus honos fuit, vt conuiuij loco dicto, conuiuij quoq; ſumptus miniſtrorum memoriæ obijceretur. Bibliothecas publicas quibus ſtudioſorum leuaret inopiam, ſtudiumque ſuo præſidio ad maiora incrementa eueheret, & conſtruxit & habuit. Has ingenti ære partis vndique terrarum doctiſſimus hominum monumentis, venuſte inſtructas ſtudioſo cuiq; ſemper patere voluit. Quare tu ſi quis alius, beatus fortunatusque

non diuitijs tantum, ſed & diuitiarum opinione ſemper prædicaberis.

De Apicio Popinæ inſtruendæ profeſſore.

VIro excellentiſſimo ac in quouis liberalitatis genere præcipuo, Apitium altiſſimum omnium nepotum gurgitem, etiam (ſi dijs placet) popinæ ſcientiam profitentem, qua non dico Italiæ, ſed totius orbis mores tanquam contagio quodam infecit, ſubijcere placuit, quo fœdiſſimi hominis vicinia, clarius huius gloria illuceſcat; flagitioſiſſimiq; huius gurgitis infamia, maiori reprehenſione, maiori execratione ab omnibus æui hominibus exibiletur. Cuius opumne an luxus dicam (inſaniam quum Anneus Seneca primi inter Philoſophos nominis, eleganti teretique, & quod noſtro conuenit inſtituto) ſuccincta orationis forma percurrat, noſtro ſtilo parcendum eiuſque verba tranſcribenda eſſe duximus. Apitius (inquit) noſtra memoria vixit, qui in ea vrbe ex qua aliquando Philoſophi velut corruptores iuuentutis abire iuſſi ſunt, ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſæculum infecit. Cuius exitum noſſe operepretium eſt. Cum ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, cum tot congiaria principum, & ingens capitolij vectigal ſingulis commeſſationibus hauſiſſet, ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primum inſpexit. Superfuturum ſibi Seſtercium centies computauit, & velut in vltima fame victurus, ſi ſeſtercio centies vixiſſet, veneno vitam finiuit. Summa per luxum inſumpti fuit, vicies quinquies centena aureorum milia. Quam vero luxuriæ ſuſtentandæ imparem exiſtimauit, ad ducenta quinquaginta aureorum milia euaſit. O prodigi animi fœdiſſimam ingluuiem, quæ ſibi ſubtracta vberioris luxuriæ materia in miſeriam ſeſe necem, vitæ pertæſa quæ ſine conſuetis luxuriæ ſuſtentamentis agenda eſſet, præcipitarit. Diuitiarum nomine te quoque in hoc proſceni-

ſceni-

ſcenium induxi, dignum alioqui qui perpetuis obliuionis tenebris obruare.

De Cæcilio Claudio.

QVanta quoq; (dij immortales) diuitiarum gloria Cæcilius Claudius inclaruit, qui vltima teſtamenti ſui voluntate opum ſuarum contexens catalogum, libere profeſſus eſt, licet ciuilium bellorum furor magna ex parte opulentiæ ſuæ neruos laxaſſet, tamen ſeruorum quatuor milia, centum ſexaginta, boum iuga tria milia ſexcenta, reliqui vero pecoris ducenta, quinquaginta ſeptem milia hęredi relinquere. In numerato pondo ſexcenta milia, Supremo funeris honori ſeſtercium vndecim milibus deſtinatis.

De Pallante, Calliſtho & Narciſſo Cæſaris Claudij libertis.

AN quicquam Craſſi auro inexplebilis diuitijs par eſſe credendum eſt? Attamen hos tres Pallantem, Calliſthum, & Narciſſum ſeruitutis iugo liberatos, Claudij Cæſaris principatu, eum ſuperaſſe Plinij ſcriptoris diligentiſſimi hiſtoria confirmat.

De Pythio quodam Bythinico.

NVnquam moritura orationis gloria diuitiarum Pythij memoriam Plinij quoque diligentia in hominum animis reliquit, qui platanum auream, vitemque illam nobilem Dario regi donauit. Xerxis copias hoc eſt ſeptem octoginta hominum milia epulo excepit, ſtipendium quoque quinque menſium frumentumque pollicitus, vt è liberis quinque in delectu exiſtentibus vnus tantum ſenectuti ſuæ concederetur. Quæ cogitatio tam inexhauſta diuitiarum maria perſcrutetur.

De L. Sylla.

TV quoq; repubeſcente ſemper opum tuarum laude, clarus illuſtrisq; apparebis, præter plurima enim quæ in te contulit fortuna munera, etiam opulentiæ honore te inſigniuit, quas quomodo maiori verborum compendio vniuerſas cõplectar, quaſi Plinij inſiſtens veſtigijs vnico verbo quod res eſt, dicam, Craſſo ipſo (cuius admiratio omnes attonitos reddidit, ad quos ſe fama penetrauit) non diuitijs parem fuiſſe, ſed etiam eadem præcelluiſſe. Rerum ſummam conſecutus, populo conuiuia exhibuit, ea omnium rerum copia inundantia, vt plurima omnis generis condimenta cibariaq;, non ſufficiente famelica plebis ingluuie, in fluuium deijcerentur. Tuas licet admirer diuitias, hoc tamen ni os tibi dicam, quod olim opes iactanti quidam patricia gente oriundus, ad aurem obganniuit. Qui vir bonus eſſe poſſes, qui cum nihil à patre relictum ſit tot ac tanta poſſideas.

De Phryne meretrice.

AGe imbecillioris animalis ſexus, mulieris priuatæ opes, fidem publicis regnorum opibus concilient, Phryne corporis vſura tantum corraſerat opum, vt Thebarum mœnia ab Alexandro diruta ſe priuatis ſumptibus inſtauraturam ſit profeſſa, ſi munificentiæ ſuæ memoriam perpetuam, hoc muris inſcripto titulo ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ φρύνη, ad poſteros dimanare pateretur. Quam opum tuarum laudem publicis operibus inſtaurandis ambijſti, eam viuæ ſcriptorum literæ tibi peperere, immortalem.

In Floram Romanam.

QVid nunc de Flora cui diuitiarum amplitudo ad diuinos honores aditum patefecit dicam? Imò quid non de exeeranda Romanæ peſtis lue dicam? quæ altiſſimo libidinis barathro, totius vrbis diuitias, fœdiſſima corporis vſura contraxit,

xit, quæ tot clarissimos senatoriæ patriciæq; gentis iuuenes, gloriæ, honori virtutiq; natos indigna luxuriæ illecebra dementatos fractosq;, in otium atque ignauiam præcipitauit, atque á virtutis tramite in vitiorum abrupta præcipites atque transuersos egit. Quod te populus Romanus hæres scriptus falso errore deorum cetui adnumerarit, diuinosq; honores, ludos Floralia adpellatos consecrauerit, ad pœnæ cruciatusq; incrementum quo te perpetua conscientiæ carnificina furiæq; malorum vltrices subigunt, datum esse, nunc merito experiris.

De quibusdam Italis.

VTinam quem cæteris memoriæ honorem attribuo, vobis quoq; quorum nomina longa obliuio iam sunt sopita dare liceat. Quare tantarum opum laudem incerto nomini adsignare quanquam inuitus necessitate vrgeor. Hij Tiberio Graccho plus æquo popularem captanti auram, animum facinoris iam olim mente agitati maturandi indiderunt, quos sena septena atq; ijs plura seruorum milia in agris habuisse deplorat, indignum ratus, omnem opulentiam nobilium luxui soli patere, plebem varijs sese bellorum periculis alienæ tantum pompæ exercere. Itaq; contra tantarum opum insanias lata lege agraria, aduersarijs cædis caussam quanquam minus honestam præbuit. Conatus est prudentissimo consilio liberiores diuitiarum habenas vir præclarus contrahere: sed dum plebis honori nimium studet, honoris sui, famæ propriæ atq; ipsius vitæ iacturam fecit.

De Gorgia Leontino oratore clarissimo.

ET Gorgiam celeberrimum olim totius Græciæ oratorem dicam, quem ad tantas opes oratoriæ artis quæstus euexit, vt intentatum exemplum, hominum primus exhibere aggressus sit, auream solidamq; Delphis statuam erexit, quamque is quæstus ea memoria vber fuerit diuitiarum suarum monu-

mento declarauit, & quo nostri æui scriptores oratoresque celeberrimi vix famam tolerant, eo is inusitata luxuriæ exempla primus statuit. Vsque adeo effœta hæc senescentis mundi tempestas, à superba illa nobiliq; priorum temporum magnificentia degenerauit. Acerbiore hic(licet oportuna data occasione, Epiphonemate non vtar.

De Dolabello. Cassio. & Bruto Romanis.

ATque de Dolabella Bruto, & Cassio minime hoc loco silere conuenit, quos scriptis nobis autorum diligentia prodidit, exercitum ingentibus copijs constantem, (cum à senatu minus tempori subuectum esset stipendium) menses aliquot sustentasse, medijq; temporis iniuriam frumenti vestiumque copia profligasse. Dignum quod inter summa huius rei reponatur exempla facinus.

De Rom. mulieribus.

CViusuis ordinis, cuiusuis sexus hominibus cum promiscue huius laudis participes reddam; quo pudore clrissimo Romanorum matronarum facto non eundem narrationis honorem adhibebo, quæ cum in publico ærario deesset aurum, ex summa pactæ cum Gallis mercedis confieret, proprijs id persoluerunt impendijs.

De Busa Canusina.

NVlla ætas clarissimi huius exempli memoriam apud se sinet abolescere, Busam Canusij ciuem tanta diuitiarum fœlicitate excelluisse, vt decem milia Romanorum (quos memorabilis apudCannas strages reliquos fecerat, cum ijs publice mœnium tectorumq; vsus tantum tribueretur, etiam frumento, veste, viatico, iuuerit. Nihil tamen tanto sumptu eius contractæ sunt copiæ, sed in diuitiarum claritudine reliquam ætatis semitam decurrit.

De

De Venuſinis.

IN Venuſino populo non quidem diuitijs, ſed re geſta ſimile exemplum memoria adprehendendum eſt. Varrone ex clade Cannenſi trepide fugiente quatuor hominum milia quos fugæ ducebat comites, per familias diſtributa, omni hoſpitalitatis beneuolentia tractarunt, in ſingulos equites, togas & tunicas & quadrigatos nummos quinoſuicenos, in pedites denos, armaq; quibus deerant dederunt, quod per ſe vix memoria dignum, ea temporum iniuria cum exhauſto locupletiſſimo omniumq; gentium ſpolijs repleto Rom. ærario, opes ſuas ſenatus in medium protuliſſet, ſummis opum exemplis adſcribet.

De Surena Partho.

SVrena Parthus obſcurus in obliuionis tenebris ferè deliteſcens, horridum ſitu ſqualoreque caput in lucem proferat. Continenter quacunque iter faceret, mille camelorum agmen onerib. deportandis poſt ſe trahebat, ducentos pellicum currus, equos cataphractos mille, quos leuiorum ingens multitudo ſequebatur. Seruorum clientumq; equitatu ad decem milia vſq; ſtipatus eminebat.

RERVM OLIM MAGNIFICENTIA MEMORABILIVM.

LIBER TERTIVS.



Actenus pacis tempore geſta exempla, quæ vetuſtati aut gloriam aut admirationem aliquam videbantur allatura, abſoluimus. Quid reſtat niſi vt eadem breuitate licet non pari animi alacritate, ex bellica gloria magnificentiaq; eidem quem poſſumus ſplendorem adiungamus. Res eſt fateor quidem, quæ non tam narrationem quam commiſerationem emereatur, ſed huc nos inconſulta quo-

quorundam temeritas, atque imperitia, abiectius longe quam par est sacrosanctæ vetustatis caniciem reuerendam habentium, præsentiumq; rerum illecebra ob oculos versante nostræ patrumque nostrorum memoriæ res gestas, ampliori quam mereri videntur fauore, studio atque prædicatione prosequentium, inuitos impellit, vt suus cuiq; ætati honos atque admiratio constet, nec sic nostra falsis laudibus attollantur, vt vetera meritis interim laudibus inhoneste nostra dissimulatione fraudentur.

De Assyriorum rege Nino.

PRimo narrationis honore celebretur, qui primus auitum illum omnium regum gentiumq; morem, (quo tuendi tantum imperij fines non proferendi cura sollicitabantur) insolita regnandi cupiditate mutauit, vberrimamq; ingenijs scribendi omniq; posteritati admirandi materiam suppeditauit. Finitimis hic partim armis, partim insolito belli horrore in deditionem acceptis, cum accessione noua fortior indies ad alios trãsiret, ausus etiam est Bactrianorum regnum, loci natura difficillimum præbens accessum, hominum numero viribusq; validissimum armis bis tentare. Cum enim prima irruptione pulsus se imbecillioribus, quam ad tantum negocium viribus fultum esset expertus, maioribus opus esse ratus copijs, electissimorum peditum decies septies centena milia, equitum milia duodecim, parem equitibus falcatorum curruum numerum cum contraxisset, prioris fugæ ignominiam eluturus proficiscitur, fugatoq; Zoroastre qui venienti cum quadringẽtorum milium exercitu obuius processerat, victorem ciuitatibus exercitum admouet, quibus omnibus diuersa ratione vt in tali re fieri solet captis, potentissimi principis nomen primus pro immortali trophæo sibi erexit.

De Semirami Nini regis vxore.

Semi-

SEmiramis veró in regno ſuccedēs, quadraginta duos annos imbellem adhuc atque innocentem longaque quiete torpentem populum cædibus exercendo, à viro potentiæ nomen adquiſitum maiori virium acceſſione ampliauit. Siquidem non contenta ijs quos regno vir ſolus tunc bellator adiecerat, terminis, Æthiopiam bello vexatam cædibus crudeliſſime funeſtinauit. Neq; etiam illam Indorum potentia quo minꝰ vlteriora peteret repreſſit, quid enim animū ter decies centenis peditum, equitum quingentis, curruum centum millibus ſuffultum (quæ in Indiam ducta, inter autores conſtat) à tam magnifico ſcelere deterruiſſet? Sed hæc vt potentiæ inexhauſtæ gloriam hac re immortalitati conſecrauit, ita crudelitatis fœdiſſimā ignominiam ſibi lucrifecit, cui in pace viuentes populos nefanda ſanguinis cupiditate ardenti, perſequi & trucidare fuerit voluptati.

De Sardanapalo Aſſyriorum rege.

SIC in fatis erat, vt quod immoderata crudelitate barbarieq; cœperat regnum, deſidia ſocordiaq; adminiſtratum in excidium dilaberetur. Ea enim luxuria voluptateq; per mille trecentos annos à Semiramide ad hunc Sardanapalum adminiſtratum eſt, vt nihil tanto tempore magnopere memoria dignum ſit adminiſtratum, Sardanapalum autem inter ſcortorum greges purpuram colo trahentem, habitus mollicie, oculorum laſciuia quæuis ſcorta ſuperantem, nimia effœminatio præter cæteros omnes nobilitauit, vt tantis merſum voluptatibus virile quid memoriaq; dignum gerere, ac non prorſus regno excidere, inter portenta merito poſſit haberi. Itaq; Arbaces quidam genere Medus, virtute animiq; magnitudine pari, indignum ratus, totius orbis imperium eius nutu, quem colo purpurā aptantem repererat ductari, ijs quibus præerat Medis adhæc Perſis, Babilonijs, Arabibuſq; ad defectionē ſollicitatis, haud dubia belli mutatiq; animi conſilia tractare cepit. Ninam

nam ex quatuor his gentibus quas ad noui consilij societatem impulerat quadringentis hominum millibus, armis, consilijq; grauitate munitissimus insedit. Tantis delicijs euiratú regem Sardanapalum, nihilominus nouarum rerum studium atque nimia regni opulentia validissimo huic exercitui prudentissimo callidissimoque imperatore firmato obuiam misit, cruentissimisq; duabus pugnis inter hostium agmina detonare fecit. Sic quem virtute, calliditate cæterisque militiæ stratagematis non poterat, nimia hominum turba obrutum oppressit. Pensandum in hoc conflictu quantæ copiæ, quanta inundatio fuerit, vbi à plusquam muliebris animi rege quadringenta hominú millia, callidissimo omnisq; versutię peritissimo imperatore firmata, in extremum bis fortunam fuere deducta, quanquã paulo post solutiore cura castra seruãs, atq; ex victorię gaudio, poculis, somno quietiq; indulgens, subita trepidatione inopinato hostibꝰ irrumpentibꝰ, tantú chaos dissipatum regiæ necis occasioné præbuerit. Ille n. fortunis iam ad extremú deductis, cú etiam Euphrates sanguinolentas ex suorú cædibꝰ traheret vndas, extructa pyra, auro argentoq; omni, veste insuper regia cum vxoribus, innumerabiliq; Eunuchorum turba ei imposita, in flammas sese demisit præcipitem. Quantæ (dij immortales) eius regni vires, quæ tanta sub ea regum ignauia præstitere.

De Medorum armis.

MAXimi bellorum motus, fœcundissimaq; armis tempora huius imperij mutationem excepere, plerisq; iam seruitutis iugum expertis in libertatis spem se erigentibus, ciuitatibusq; singulis populari imperio vtiuolentibus. Quare varijs cladibꝰ hinc inde à singulis dimicatum est sæpius, dum mutuo excidio fatigati, insigni pietate iustitiaque regem Cyaxarem communi suffragio crearent Medorum populi: qui propinquis in amicitiæ societatem receptis, collapsum iá Monarchiæ

statum

ſtatum in Medis inſtaurauit. Maxima huius potentiæ exempla Ariſtheus bello cum Caduſijs geſto edidit. Huic occaſionem Perſodes quidam natione Perſa, iudicio quodam ex amico infenſus regi redditus, cum adſumpto militum manu ad Caduſios profugiſſet, præbuit. Apud quos cum ſibi iuſtitiæ atq; virtutis, non mediocrem opinionem conciliauiſſet, cumque etiam ſororis matrimonio, quam eius gentis potentiſſimo viro deſponderat, cum firmaſſet, ſumma belli ad ſe ob virtutem delata, ducentorum millium hominum exercitum coegit, caſtriſque poſitis belli conſilia aduerſus eum cuius ſcelere erat impulſus, nouum hoc ſtudium agitabat. Rex ſubito tanto terrori occurſurus ad octingenta hominũ millia in arma correpta in aciem educit, quibus non aliud quàm Medorum potentiæ argumentum exhibuit. Quingentis enim millibus clade abſorptis, cum reliquis trepidus in regnum refugit, vireſq; regni validiſſimo hoc ictu ita concuſſit, vt earum ruinæ etiam Aſtyagis tempore ſonitu ſuo totum orbem implerint. Sic hoc vt opibus potentiaque ſplendidiſſimum, ita gloria breuiſſimum fuit regnum.

De Cyro primo Perſarum rege.

LAbentis iam diſſipatæq; Medorum Monarchiæ authoritatem Cyrus ſuſcepit, cuius magnitudinem etiam cœleſtia inſomniorum prodigia, intentatæq; ab auo Aſtyage necis declinatio, prodigioſiſſimiq; à cane nutricis præſtitum obſequiũ prænunciauere: Viderat enim auus quietis tempore, ex Mandanes filiæ naturalibus vitem enatã in tantam amplitudinem ſubito ſe propagaſſe, vt eius palmites vniuerſam vmbra ſua inuoluerent Aſiam, Cuius ſomnij fidem ante etiam viſa inſomnia, quæ filiæ vrina eandem inundari præ ſe ferebant approbauere. Huic rei etſi conſilio ſuo pulchre occurriſſe exiſtimaret, modicæ fortunæ viro filiam collocando, ne ſic quidem tamen viſi ſomnij metu leuatus omnium conſiliorum participi Har-

pago fœtum necandum tradit. Qui pio quodam misericordiæ affectu tactus, infandum cædis ministerium sibi delegatum regij pecoris custodi, per manus tradit. Hic quoq; cum tanti facinoris horrore perstringeretur, in syluis exponit puerum, ferisque obijcit, quo tantum scelus aliena opera peragereturr, ipse interim beneuolentiæ gratiam ab Harpago iniret. Reuersum vxor re cognita precibus virum impellit, quo in mortui infantis locum quem pridem enixa fuerat, hic allatus substitueretur, qui vxoris hac in re seruiens adfectibus, obseruata retro legens vestigia, iuxta infantem canem mitem vbera præbentẽ, repperit. Cyri post inter pastores nomen huic est inditum. Huic ad vltioris ætatis existenti Harpagus, cui crudele quidem sed dissimulatum in regem Astyagen odium erat, per proditionem Medorum exercitum, cui præfectus erat, tradidit, quibus viribus suffultus Cyrus, deficientem iam Monarchiam noua Persici regni iuuentute commutauit, ac Astyagem totius regni auxilijs munitum fortissime dimicantem, nihil non experientem, captum regis & gloria & nomine priuat. Auctus deinde noua hac Medorum accessione, Assyrios, Babiloniamque gentem, quanquam opulentissimi Crœsi Lydorum regis potentia suffarcinatam, quarum vtramq; humana virtute expugnari posse incredibile propemodũ mortalibus habebatur, in regni iura adscripsit. Asiam quoque vniuersam totumq; Orientem peruagatus, in Persici regni fidem traduxit. Ac ne his quidem contentus, potentiæ limites etiam vltra Scythas extendere conatur. Præter tot præsidia, quibus totam Asiam vniuersumque Orientem victor tenebat, regniq; noui autoritatem à circumstrepentibus vndique populis vindicabat ducentorum millium exercitu, Scythiam feram moribusq; asperam regionem inuadit, eratque eam armis oppressurus, ni prioris victoriæ præmaturo gaudio elatus, inconsultius in loca insidijs septa, persequendi studio inuectus, & suæ vitæ præproperam traxisset cladem, exercitusq; incolumitatem cædibus hostiũ obiecisset.

De Dario Persarum rege.

DArius quoque hinnientis equi augurio Rex consecratus, quanta virtute claruit bellica? Babylonem incredibili mœnium firmitudine vallatam,(quorum splendor ea inter septem orbis miracula numerauit) Zopyri beneficio in potestatẽ redegit. Scythis ob regiæ filiæ sibi negatas nuptias septingentis hominum millibus bellum infert. Hostibus seu nimia tanti exercitus multitudine trepidantibus, seu vafro consilio pugnandi facultatem denegantibus, veritus ne si diutius in his locis moraretur, via Danubij ponte rescisso intercluderetur, nonaginta hominum millibus amissis, trepidus in regnum refugit. Quæ iactura ob nimiam hominũ inundantium multitudinem damni loci nequaquam censa est.

De eodem.

HIC idem vniuersa deuicta Asia, Macedonibus Ionibusque nauali prælio superatis, in Athenienses quos Ionum vires contra se fulcisse coguouerat, omnem belli impetũ sexcentis hominum millibus contorsit. Quæ belli moles dum pondere suo totam Græciam grauatura videretur, ab Atheniensibus solis intrepide excepta est. Non expectatis enim sociorum auxilijs, decem ciuium millibus instructi in campos Marathronios virtutis suæ fiducia pleni egrediuntur. Prima ipsa congressio eum inuentum præbuit, vt hinc viros, hinc inertia pecora mactationi destinata putares. Quin & hanc fœdissimam exercitus sui fugam, noua denuo virtute expiare conatus, tantas copias quibus vniuersæ terræ inundandę videbantur, ducturus fuerat, ni pręmatura mors tantorum scelerum cœpta, interuentu suo dirupisset. Quid non fuerat effecturus, si tam animorum robore, quum militum numero pugnasset. Tanto facilius exercitata animosaque paucitas, indocta trepidaq; multitudine victoriæ laudem adpræhendit.

De Xerxe Persarum rege.

XErxem illum superbissimum cuius potentiæ etiam ipsam rerum naturam cedere coactam, quem per terram perfossis montibus in quorũ specus fretum immissum est, nauigasse, per mare nauibus contabulatum ambulasse, cuius classem pelagi amplitudinem non cepisse, quem latiorem Europa vniuersa duxisse exercitum veterum literæ nobis testantur, quis hic indictum innominatumq; transeat? Bellum contra Græcos patris Darij morte interruptum instauraturus, septingenta de regno, trecenta de auxiliaribus ciuitatibus armasse, dicitur milia. Quæ bellica vis etsi ingenti admiratione auditores perstringat, nescio tamen si eorũ opinioni accedere debeam, qui hunc peditatus decies septies centena millia, equitatus octoginta, præter Arabes Pœnosque qui camelorum præsidio expeditionem fulciebant, quos numerant viginti millia, præter summas copias classi decem millium nauium destinatas, in expeditioné duxisse prædicant, vt non immerito Scamádri qui primus tantæ multitudini se agenti occurrebat, fluentum hominibus iumentisq; non suffecisse, Xerxemq; consenso prætorio é quo late in campos mariaq; præbebatur prospectus, ob dolorem, breui temporis spacio etiam tantæ multitudinis interitura vestigia oculis lachrymas destillasse sit proditum. Quæ vnquam oratio huius potentiam digne celebrauerit, quæ cum flumina bibentium multitudine exiccarentur, inuicta inconcussa infractaq; perstiterit. Sed huius venientis fama vt omnia pauore repleuerat, ita abeuntis fœdissimum timiditatis exemplum, perpetuam nomini eius infamiam adposuit. Sic dum dijs etiam inuidiosas ducit copias, irreparabiles regni Persici ruinas traxit.

De Vltimo Dario.

VIX vlla vnquam Persici regni tempora tanta potentiæ documenta, quanta sub vltimo hoc Dario Rege dederunt, magni

magni animi iuuene Alexandro quietum iam regni ſtatum summis viribus oppugnante, vireſq; iam diutino ocio reſides nouis bellorum tumultibus in arma concitante. Cuius belli fax in Adraſtis campis exarſit. In aciem producit Darius ſexcenta Perſarum millia, ingentibus interim copijs ſub bello præfectis loca oportuna tenentibus, quæ bellica Alexandri peritia, militumq; virtute, tanquam largiſſimo aquarum diluuio ſubito in armis ſunt ſuffocatæ. Nihilo illum tantæ cladis terror aut timidiorem animo, aut viribus imbecilliorem reddidit. Secundum enim pugnæ euentum tentaturus, trecentis peditum, centum equitum millibus contractis, caſtra caſtris iungit. In aciem progreſſum eſt. Alteri rerum geſtarum amplitudo, indomitum Archyraſpidum robur animos erexerat. Alterum veteris Perſicæ gloriæ memoria tantaq; hominum inundatio victoriæ ſpe confirmauerat. Validiſſimo impetu inter ſe colliſa arma concrepuere, Ancipitiq; diu Marte pugnatum, Darij copijs demum partim inordinate fugientibus, partim trepide pugnantibus fœdiſſima per campos Perſarum ſtrages editur. Atque nunc quidem quis in tantis cladibus aliud quam regni ruinam expectabit? At qui hactenus, non fractæ non debilitatæ, ſed irritatæ vires Perſarum erant. Reuertenti enim ab Ægypto victori (cum non niſi iniquiſſimis conditionibus pacis redimendæ offerretur facultas) tertio quadringentis peditum millibus, equitum centum millibus occurrit. Nulla pugnæ mora. Cœca rabie vtrinq; in bellum ruitur, cum hos toties victi hoſtis contemptus, illos omnis fortunæ deſperatio furiali quadam rabie in vulnera ac cædes incitaret. Sed eadem fortuna quæ toties acciderat, Perſas comitante, violenter hoc prelio Aſiæ raptum imperium eſt, non quod inſtaurandi belli ſpes deficeret, ſed quod fortuna quæ à Medis in Perſas regnum tranſtulerat, fatali quadam viciſſitudine id alio transferre velle videbatur, Deo Alexandriq; fælicitati cedendum eſſe du-

xerint

xerint. Sic tribus prelijs totidemq; annis (difficillima fides dictis) decies quinquies centena peditum equitumq; millia consumpta sunt, atque hæc quidem ex eo regno vnde ante annos non admodum multos, decies nouies centena millia profligata referuntur, quanquam extra has clades, per eosdem tres annos & Asiæ ciuitates plurimæ oppressæ sint, & Syria tota vastata, Tyrus excisa, Cappadocia subacta, Ægyptus adflicta, Rhodus quoque insula libertate excussa, seruitutis iugum adcepisset.

De Agamemnone.

QVanto ore Græciæ exercitus amplitudinem tonat inclytus ille Troiani belli scriptor Homerus? Digna profectò res quæ diuino eius vatis celebretur ingenio, quam haud scio si quisquam verborum maiestate æquaturus fuerit, ni in eam se huius extendissent orationis atq; eloquentiæ flumina. Quando vnquam in eodem campo diutius resedit belli tempestas, quæ decennij spacio, cum & Asiam Europamq; quotidianis cladibus territasset, vix tandem detonuit. Dicuntur Græci ad hoc bellum 886. hominum millia, Troiani 776. millia conduxisse, vt mirandum non sit quanquam ferali odio in mutuam rueretur perniciem, nullumq; propemodum tempus à bellicis concursibus, eruptionibusq; vacuum intermitteretur, vtriusque partis neruos intensos ad tanta tempora perstitisse,

De Philippo Macedonum rege.

GRæciæ ruinis Macedoniæ regnum ignobile ante, Philippi regis tanquam è specula insidiantis fraudibus euectum est. Cuius tanta subito emersit potentia, vt Athenienses florentissimos tum imperio atq; opibus superarit. hinc ad Illyrios arma, omnia cædibus atq; ruinis complens transtulerit, Thessaliam quoq; cuius equorum robore exercitus sui vires confirmaret, in potestatem redegerit, Scythis quoq; seruitutis iugú impo-

imponere conauetur. Sed hactenus potentiæ eius quasi infantia quædam extitit, quæ dum delectu per Græciam habito ad quamvis rei bene gerendæ occasionem, præter inuictum Macedoniæ exercitum, infinitamq; gentium barbariem, ducenta peditum quindecim equitum millia armauit, in iustum virilitatis robur tandem excreuit.

De Thomyri Massagetarum regina.

THomyris regina Cyrum triginta annos perpetua atq; continua victoria gaudentem, diutina mora longius à regni pomerijs allectum, innumera iuuenum manu correpta, ita adtriuit, vt ne nuncius quidem cladis relinqueretur. Quo in prelio ducenta Persarum millia cœsa, ne interim quidem à sacratissimo regis capite, vltore gladio abstinente. Tantum facinus mulierem, quam recens cæsi filij cum tertia copiarum parte mors in desperationem prostrauerat, sine infinito lectæ pubis robore confecisse quis credat?

De Thalestra Amazonum regina.

THOmyridis exemplum in Thalestræ Amazonum reginæ memoriam nos deducit, quæ cum 300. mulierum bellatricum millibus. 25. dierum inter infestissimas gentes emenso itinere, Alexandro prolem ex eo quæsitura, occurrit, vt viri fortissimi sanguis Amazonico misceretur.

De Zoroaste Bactrianorum rege.

NON soli Assyrij Nini temporibus potentiæ exemplis effulsere, vt omnium reliquarum gentium robur eorum compræhensum imperio fuisse, stetisseq; id nationum populorum, regumq; omnium viribus quis existimet. Siquidem & Zoroastes Bactrianorum rex, virium regni sui fiducia elatus quadringentorum millium exercitu collecto, venienti Nino, omniaq; late depopulanti occurrit, collatisq; signis cum parte

N copia-

copiarum Nini confligens, hostili cruore late campos madefecit, ac nisi regis suppetias ferentis aduentu acies diffusa sese in arma collegisset, monarchiam cum regis cæde exercitusque strage non dubium erat, quin rapturus fuerit.

De Ægyptiorum numerositate.

ÆGyptus arctissimis limitibus circumscripta, neque etiam Monarchiæ titulo honoráta, hominum numero quasvis propemodum nationes superauit, vt pote quæ prisco æuo insigniorum oppidorum decem & octo millium, amplitudine autem regni decrescente Ptolomæi Lagi tempore, trium milliú numero clara extiterint. Populi numerum antiquitus septies decies centena millia confecisse, libri quos ipsi ob rerum gestarum fidem sacros vocant, edocent. Huic plusquàm humana Pyramidum opera, centum portarum vetus Thebæ, Coloniæ primo in vniuersas orbis partes deductæ. A Belo, Formidabile Babylonis nomen, à Danao, Argi omnium Græciæ vrbium antiquissima, Colchorum gens quæ in Ponto est, ab ijsdem deriuata, fidem conciliarint. Verum vt res tanquam per transenná iam ostensa euoluatur, statutum est per aliquot eiusdem potétiæ exempla consueto narrationis ordine diuagari.

De Sesostri Ægyptia rege.

PRimus hic florentissimis regni rebus incitatus, tanquam superiorum regum castigaturus ignauiam, sublimi spiritu adsumpto ad orbis imperium animum adiecit. Ex lectissimo milite exercitum sexcentorum millium: pedestrium copiarum, equitum, quatuor & viginti millium conscripsit, falcatorum curruum octo millium numero his tantis iuncto copijs. Æthiopes sub ipsis solis ardoribus constitutos adortus est. Victis victor pacis conditiones præscripsit. Plæraq; Asiæ (& quæ rara alias cuiquam fuit gloria) etiam Alexandro intactas gentes expugnauit. Neque hic victoriæ fines stetere. Scytharum enim

imma-

immaniſſimam gentem victor peragrauit, Ionij maris inſulas regno ſuo adiecit, auſus etiam Europæ limites bello tentare, Thracia expeditionis meta conſtituta. Atque hæc quidem terra geſta. Primus omnium longarum nauium vſu cognito rubri maris inſulis omnibus, maritiſſimisq; partibus ad Indos vſque quadringentarum nauium claſſe ſubiugatis, vetuſtati præclaram admirationem, ſibi virtutis immortalem laudem eſt conſecutus.

De Pſamnitico rege.

ADEO luxurianti populi multitudine Ægypto, cum vnicus rex frena ſeſe poſſe inijcere deſperaret, regni ſtatus ad duodecim regum arbitrium delatus eſt, qui cum quindecim annis concordibus animis regnum adminiſtraſſent, in Pſamniticum tandem totius regni affectati ſuſpicio incidit, quæ res in mutuum excidium Ægypti vires conuertit: Vndecim enim ingentibus collectis copijs dum tanto furori obuiam ire feſtinant, vniuerſam regionem cladi cædibuſq; inuoluunt. Nam aut victi belli rabie omnes abſorpti ſunt, aut ignobili fuga elapſi in Lybiæ partibus turpiter delituerunt. Tam luctuoſa cruentaq; cæde vt nihil Æpypti vires diminutæ ſunt. Dum enim de regno tuendo laborare credi poſſet, quod cædibus exhauſtum exteris inuadendi occaſionem præbere videretur, Syriam opibus populoque florentiſſimam, præter Arabes, Cares, Iones, quorum auxilijs reges vndecim profligarat, Ægyptiorũ ducentis millibus adſumptis laceſſere non dubitat. Admirandam ſanè Ægypti potentiam quæ tot cædibus labefactata, inter tot circumpoſitarum nationum odia, robore ſuo firma inconcuſſaq; perſtiterit.

De Chemmi Ægypti rege.

VErum ne dum nos bellica multitudo occupatos tenet, exemplorum pacis tempore geſtorũ obliuio ſubeat, Chemmis nobis eſt dicendus, qui ſuſpectæ illius ac ſeptem orbis mi-

raculorum nomen meritæ molis autor, ad viginti annos, trecenta hominum millia, admiranti huius operis prodigio fatigauit.

De Thebis Ægyptiis.

ÆGyptias Thebas centum portarum numero nobilitatas non minor potentiæ ſplendor claras reddidit, quas imminente belli terrore, vberrimo gremio viginti curruum millia ad ingruens Martis diſcrimen auertendum effundere ſolitas ſcriptorum literæ nobis tradiderunt, eumq; non temporarium ſed perpetuum ad ſubitas inopinaſq; bellorum minas deſtinatum. Receptacula equorum centum habuerunt, quorum ſingula ſupra ducentos equos recipiebant.

De Simandio Ægyptiorum rege.

SImandius operum in Ægypti memorandorum gloria nulli ſecundus, à filijs quatuor imperium in Bactrianos exercentibus, atq; à ſe (vt quidam volunt) iuſtiſſimis cauſſis deſciſcentibus, exercitu quatuor peditum, viginti equitum millium, perſecutis violatæ pietatis pœnas exegit. Sed vt potentiſſimi ducis famam, ſic impijſſimi patris execrandum nomen hac re ſibi lucrifecit.

De Pharaone illo θεομάχῳ.

NImia potentiæ gloria, innumereque multitudinis præſidio elatus Pharao, licet varijs plagis ſuperioris numinis adflictus, non potuit tamen falſæ ac vmbratilis illius potentiæ opinione inflatus, maiorem ſe Dei potentiam agnoſcere, neq; tot portentis monitus ſuperiori cedere. Cruentis flumina vetebantur vorticibus, dulcem inſolito humore vitam in aquis piſces efflabant. Ranarum, pediculorum, muſcarumque examina terras tantum non inundauerant. Contagioſa lues cuiuſcunq; generis animantia peſte ſuffocabat. Horrenda inſolitæq; magnitudinis grandinum ſaxa, late ſummam edentia calamita-

tem

tem, famem minitabantur. Quicquid ea pestis reliquum fecerat, locustarum ingluuies depascit. Et quo certior maioris potentiæ fides esset, triduanæ tenebræ insolita caligine terras inumbrant, cadit cuiuscunq; generis primogenita soboles Deo percutiente; neq; tamen potentiæ tuæ vana confidentia in escatus, immodicos illos superbosq; spiritus deponit. Cum enim Iudęi immodicis operum iniurijs fatigati æthere fauente, Mose duce iter fugæ causa arripuissent, celeriter correpto milite insecutus, tanto exercitus adparatu, curruumque bellicorum multitudine ita horribilis subito adparuit, vt populum Dei ad sexcentorum fortissimorum millium numerum, quem rapti auri argentiq; copia fortem reddiderat, quem desperatio in virtutem excitabat in eas angustias coniecerit, vt ne hostis quidem ferre posset conspectum. Certum Ægyptiæ potentiæ argumentum, cum eam sexcenta virorum millia, quibus divina iussio euasionis spem fecerat, omne salute desperata, omnique resistendi audacia sublata, timuere.

De Sesaco Ægypti rege.

NON parum quoq; huius rei gloriæ Sesacus regno suo conciliauit, quem in Iudæos veri Dei cultus temeratus incitauit, Nimia enim fœlicitate luxuriantes Iudæi (vt fere fit) spretis veri Dei legibus ad alienos ritus sequendos, insolentiamque immodicam transuersi agitabantur. Cuius incredulitatis aut potius ingratitudinis penas divina vltio repetens Sesacum mille ducentis curribus falcatis, sexaginta equitum millibus, pedestris exercitus innumerabili agmine stipatum, in Iudæos proritat. Qui superatis montibus, omnibusq; eius regionis vrbibus, aut vi aut deditione captis, infestas ipsi Hierosolymorum vrbi copias admouet. Et iam hostiliter erat vrbem direpturus, cum scelerum conscientia permoti, supplicio capiti iam imminentem Dei iram auertunt. Nihil enim rex vrbe potitus, (fatis sic statuentibus) cruentius violentiusque consti-

tuit, quam quod opes quæ in insolentiam animos efferarant, in victoriæ premium abstulerit, tributaq; quotannis imperarit. Sed anchoris velisque sublatis in Iudæam cursus nobis arripiendus est.

De Mose Israelitarum duce.

IN tantum numerum septuaginta illos Israelitas qui post Iudæi sunt dicti, in Ægyptum duce Iacobo translatos, excreuisse, inter tot plagarum miseriarumq; quibus ab Ægyptiorum tyrannis onerabantur iniurias, principem huius gentis gloriam facile sibi vendicauerit. Mirandum auditu ex ijs tanquam cinere conditis scintillis, tam latum prorupisse incendium, idq; inter acerbissimas operum exactiones laborisq; acerbitatem, quæ quotidianis propemodum funeribus funestabantur, cum regio edicto ob inualescentis indies multitudinis metú, dimensum accisius redderetur, laboris autem molestia crescere t. Licet tantis molestijs vexationibusq; tantum non oppressi essent, nihilominus eorum ad sexcenta fortissimorum hominú millia, præter promiscuæ senum, puerorum atque mulierum multitudinis innumerabile agmen, Moses prudentissimus dux ex seruitutis perpetuiq; laboris faucibus eripuit. Verum vt tunc diuina promissione gentis eius multitudo stellarum cæli exæquabat numerum, ita nunc in Christum verum Messiam ingratitudo inter ignobiles inhonoratasq; gentes eam obscuram delitescere fecit, vt cuius cultu olim etiam cælum digitis pulsabat, eius blasphemia, numine nimirum pœnas repetente, in nebulam imaginemq; quandam gentis redigeretur.

De Saulo Israelitarum rege.

HIC ab aratro regio titulo honoratus, ab eodem quoque in vrbem reuersus, belli furijs, supplicum Gala aditarum precibus, quos nulla (nisi omnium dextris erutis oculis) pacis conditio ab Nahæ Ammonitarum regis tyrannide vindicabat,

accen-

accenſus,quam ſubito (dij immortales) belli tempeſtatem exciuit. Celeriter enim trecentis Iſraelitarum millibus,ex Iuda triginta millibus in arma correptis, efferueſcentem Ammonitæ furorem retudit. Atque hæc quidem in ipſis regni incunabulis effecit, priuſquam eiuſdem vires atque potentia eſſent confirmatæ.

De Dauide rege.

TAceant immodici nunc Perſicæ opulentiæ buccinatores, velut operta mariã, flumina multitudinis potu guttas tenuiſſimas in aluei imo trahentia, cum quod illi totius orbis ſuffulti viribus effecerunt, arctiſſimis limitibus contentum ſplendidiſſimi opulentiſſimiq; regis Dauidis imperium,abundantius locupletiuſq; aliquanto præſtitiſſe uideantur. Cœpit regẽ præmatura regni vires cognoſcendi cupido.numeri itaq; ad ſe referendi Ioabo facile à ſe ſecundo prouincia datur,qui aliquot menſib⁹ peruagat⁹ regionem cum bellatorũ nomina in tabulas retuliſſet, ex Iſraelis poſteritate vndecies centena millia ex Iudæ vero quadringenta ſeptuaginta eorum qui arma ferre poſſet ad regem protulit millia. Sic iã olim expectationi promiſſorum Abrahæ datorũ,quæ ad Lybici maris arenas ſtellarumq; numerum eius poſteros multiplicandos ſpondebant, eſt ſatisfactum.

De Roboam rege Iuda.

EST quod in Roboam, Solomonis filio admiremur,cuius licet intempeſtiuæ procacitas qua ſe ſubditorum oneri adpoſiturum minabatur, totius propemodum regni potentiam vireſq; in Hieroboam ex Ægypto reuerſum, tranſtuliſſet exq; duodecim tribubus duas tantum Iuda & Beniamin reliquas feciſſet, auſus hic tamen eſt ex his duabus tribubus centũ octoginta millibus lectiſſimorum hominum in arma correpti,ſpem regni recipiendi concipere. Tantam hominum vim, imago quædam potentiæ relicta, viribus nempe alio translatis,ſu-

tis, subito ex se armauit. Sed tibi hanc gloriam tantum, non id quod conabaris conciliasti.

De Abia rege Iuda & Hieroboam.

MOrtuo Roboam cuius sæuitia in Ieroboā totius propemodum regni opulentia viresq; concesserāt, filius Abia in imperio successit, qui cum patriā Ieroboam illata ignominia iniuriaq;, deinde tædio pudoreq; paterni regni amissi confunderetur, ad repetendas olim à patre Roboam possessas vrbes validissimum quadringentorum millium coegit exercitum. Nec Ieroboam pugnam detrectat, vtpote validioribus regni viribus suffultus. Ad primam tumultus famam, celeriter præmaturo regis furori atq; libidini obuiam iturus exercitu octingentorum fortissimorum virorum millibus progreditur. Acriter armis concurritur. Hunc regni paterni per vim adempti spes in virtutem excitat. Illum rei indignitas, ab inualido atq; olim à patre victo se oppugnari, retinendiq; quod semel parauerat libido ad fortitudinem exacuit. Ancipiti itaq; Marte diu pugnatur, dum hic quod pater amiserat, repetere, ille quod pepererat, retinere studet. Dolo interim vtitur Ieroboam. Exercitus enim parte circumducta, & à fronte & à tergo inferentium signis, clamore sublato, Abiæ exercitum repentino pauore consternatum opprimere tentat. Hostes eodem quo petebantur dolo contra in hostes circumfusos vtentes, terribili tubarū taratantara, promiscuis virorum clamoribus, quos periculi metus horribiliori boatus strepitu exasperabat, terrorem ingeminantes, trepidos perterritosq; eos qui in spem circumueniendi venerant, in fugam agunt. Siccatæ terræ, quæ nunc iusto Dei iudicio, inhonoratæ ignobilesque quodam quasi situ squalent, diuinis promissionibus, tantis copijs in aciem concurrentibus fidem conciliarunt.

De Asa rege.

ASA

ASA poſt patrem Abiam regni Iudaici gubernacula cum occupaſſet, pari ne dicam clariore exemplo regni Iuda potentiam, perpetuæ hominum memoriæ ſacrauit. Trecentis enim millibus ſcutis haſtisq; armatorum hominum de Iuda, ducentis & octoginta de tribu Beniamin millibus conſtantem exercitum, contra Zara Æthiopum regem qui decies centenis millibus, innumerabiliq; curruum adparatu vicinos agros populabundus vaſtabat, educit, contraſiſtit, hoſtem fundit fugatque, nec aliter quam pecudes ad ſtabula redire cogit. Eam regno tuo gloriam conciliaſti, dum diuino brachio innixus, inuicto animo contra mala audentior incederes, quo ſuſtentamento ſubtracto, atq; in eiuſdem locum Syriæ regis auxilijs repoſitis, ſimul cum pietate potentiæ bellicæq; gloriæ naufragium ſimul feciſti.

De Amaſia rege Iuda.

CVi liceat hic maximi animi validiſſimæque potentiæ virum Amaſiam regem indictum pertranſire? Stimulatus hic Aſſyriorum iniurijs, qui excitialibus cladibus totam Iudæam adfecerant, regemq; patrem adempta omni imperij autoritatiſque honore, etiam vulgi manibus furoriq; interficiendum expoſuerant, collecto ex Iuda & Beniamin tribubus trecentorũ (quos ipſe ætatis flos commendabat) millium numero, ſtipendioq; centum millibus Iſraelitarum in belli ſocietatem adſcitis, nuper patre regnante acceptam cladem multorum milliũ cæde expiauit.

De Ozia.

NON parum quoq; hic gloriæ regno ſuo adiecit, ijſdem enim quibus pater veſtigijs inſiſtens, grauiſſima cruentaq; cum Philiſtim, Arabibuſq; perpetuis incurſibus obſeruata occaſione in regnum Iudaicum irrumpentibus bella exercuit, atque tanta virtute contudit, vt munitiſſimas Ægypti fauces, potentiæ virtutiſq; exiſtimatione terrore non modico quaſſarit.

 rit.

rit. Exercitum trecentorum millium omni armaturæ genere munitiſſimum duxit, præterq; cæteros hac laude inſignes, munificentiæ quoq; gloria emicuit. Vniuerſum enim exercitum clipeis, haſtis, galeis, loricis, arcubus, reliquiſque quæ præſens bellum poſtulabat ſua liberalitate inſignem in prælium dimiſit. Sed heu te lætius arridentis fortunæ facies, in exitium quoque vt patrem præcipitauit.

De Zorobabele Iudæorum principe

IN ſeruitutis infamiam moleſtiamque ſub Nabuchodonoſore Babyloniorum rege Iudæi traducti, vniuerſa regione, ipſaque Hieroſolymorumque vrbe hoſtiliter direpta, infinita hominum multitudine vario Martis euentu cœſo, principibus interfectis, poſt ſeptuaginta ſeruitutis annos, quanta (dij immortales) Cyro annuente multitudine patriam repetierunt, vt nil aliud ab Aſſyrijs accepta clades, perpeſſa ſeruitutis incommoda, quam vt clariore potentia iam collapſum inſtauraretur imperium, effeciſſe videantur. Sexcentis enim atq; eò ampliore numero, hominum millibus, Iudaici regni reliquiæ commutatæ, inſigniori potentia fumantia ipſius Hieruſalem mœnia roborarunt, atque in eas flammas iam dudum ſopiti exarſerunt cineres, vt non multo poſt, cum fortunæ gratulandi cauſſa Hieroſolyma contenderetur, euntium multitudo qui duodecimum annum attingebant, ex tribu Iuda & Beniamin, quater mille millium numerum, teſte Ioſepho lib. 2. cap. 1. Leuitarum quatuor millia ſeptuaginta, mulierum infantiumque promiſcua multitudo quadraginta millia & eò amplius effecerit.

De vndecim tribuum cum tribu Beniamin conflictu.

ÆTernam quoque poſteritatis memoriam vndecim tribuum cum Beniamin conflictus, ob ingentem belli adparatum mereretur, qui cum ex nefario ſcelere originem traxerit, euentum quoque tanta impietate dignum habuit. Cum forte

virum

virum Leuitam in Ciabaam cum vxore hoſpitium receptum adoleſcentes quidam ætatis ardore feruidi conſpexiſſent, formæque illectamentis in Veneris furias exarſiſſent, noctu fores pulſare, ſeni hoſpiti cædem minitati, ni peregrina ilico reddatur. Quam cum frequenti inſcenſione per totum noctis ſpaciū exagitatum animi deliquio exanimaſſent, vir quo ſceleris fœditate, ſpectaculiq; atrocitate tribuū animos in vltionem raperet, in vndecim partes vxorem diſſecuit, atq; cuiq; tribui partem ſpectandam exhibuit. Quæ omnes iracundiæ adfectu ob inſoliti ſceleris fœditatem concitati, iniuriæ autores ad ſupplicium ſibi dedi, poſtulant. Quod niſi fiat, ferro ſe tantum nefas expiaturos minitantur. Cumq; Gabaonitæ adoleſcentum nobilitate permoti ſe quod petebatur minime facturos renunciaſſent, extempló iuſiurandū non niſi confecto bello quemquá tecta ſubiturum, inter tribus vndecim ſancitur, quadringenta educuntur virorum millia, vt quod paucorum pœna non poterat, communi excidio expiaretur. Committuntur acies. Vincunt quorum arma iuſtiore cauſa commendabantur. Cadunt Gabaonitæ, atq; eo quidem exemplo vt de tribu reparanda, communi auxilio ſit laboratum. Sic Lucretiæ Romanæ pudicitia, Bruti vindicis pietas, hoc exemplo æquata ſunt, Belli Romanorum pro tuenda pudicitia geſti magnificentia, hoc adparatu etiam longe eſt ſuperata.

De excidio Hieroſolymitano ſub Tito Veſpaſiano.

OMni ætati, omni memoriæ lamentabile illud Romanorū cum Iudæis geſtum bellum inſignia veteris populoſitatis exempla occinere non deſinet. Vix vnquam tanta populi peruicacia pugnatum eſt, vix tantam populo Romano moleſtiam quiſquam exhibuit. Quoties inteſtinis inter ſe conciderunt odijs. In quot partes miſeræ vrbis viſcera diſtracta. Quot paſſi Aſſyriorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Moabitarum, Paleſtinorum, Madianitarum, reliquorumque qui latera

regni hoſtilibus armis toties pulſarunt, irruptiones. Pompeium cui terræ mariaq; omnia ſubiecta parebant, Antonium illum belli fulmen, Ceſtium. Herodem cæteroſq; bellica gloriar inſignes imperatores quanto animo ſuſtinuere? Per omnes terras cædibus exagitati, diſſentionibus inteſtinis, exterorumque bellis fracti, quanta tamen multitudine funeſto illo ſub Tito excidio horribiles adparuere? Præter captiuorum nonaginta & ſeptem millia, decies centena millia, quos partim famis violentia, partim peſtifera lues, inſepultorũ fetore ipſas etiam auras funeſtante, partim hoſtilis enſis hauſerat, poſt innumeros caſus quibus iuſta Dei ira in ipſos ſuperueniente multis ætatibus exagitati ſunt, reliqua Romanorum gloriæ permanſerunt. Neronis autem imperio multo floridiores ciuitatis vires fuere inuentæ. Pontificibus enim in Ceſtij gratiam ipſo paſchæ feſto multitudinem numerantibus, vicies centena ac ſeptingenta hoſtius offerentium millia inuenta ſunt. Hæc quidem admiratione ſingulari digna forent, licet nullis bellorum inteſtinarumq; diſſentionum remoris florentis regni curſus foret impeditus. Nunc in tantis omnium nationum odijs, quibus in hanc maxime gentem laboratum eſt, hæc adparuiſſe exempla, quis admirari ſatis queat vnquam?

De regibus Cananæorum.

DVm Iudaicarum rerum narrationi immoror, ſtili curſus retro flectendus eſt, videndumque quis rerum ſtatus eis terris fuerit, anteq̃ in Iudæorũ ſortem conceſſiſſent. Hunc cruentiſſimæ clades, quibus dum patriam retinere coguntur, affecti ſunt incolæ, tanquam ἐπὶ χειρὸς quod dici ſolet nobis indicauerint. Ex vnica Cananæorum natione cætera colligo, qui peregrinorum vires indies inualeſcere ægre ferentes, cum tanquam ad prima incendij nutrimenta extinguenda concurriſſent, exercitu armatorum tercentum millium, decem equitũ, duorum curruum millium, horribiles inſurrexere, quæ omnis belli

belli tempeſtas Ioſue fortiſſimi imperatoris virtute, diuino conſilio freta, quo equos hoſtium ſubneruari, currus incendi iubebatur, præter quos aut fuga ſeruarat, aut montium latebræ tuebantur, extincta eſt. Sic dú nimia potentia velut œſtro incitati diuinis reluctantur conſilijs, immodici faſtus æqua pependere ſupplicia.

De Staurobate Indorum rege.

NVlla res efficacius Indiæ populoſitatem comprobat, quàm quod in ſummis rerum regnorumq; tumultibus, vnica hęc gens ab omni belli contagione ſecura abfuerit, niſi Semiramidis ambitioni atq; Alexandri tantum potentiæ ſecus fuiſſet viſum. Sollicitauit vterq; innoxiam placidaq; quiete contentá gentem. Verum quanto cum dedecore quantaq; exercitus iactura vterq; fugit? Inuaſi enim á Semirami ter decies centenis peditum millibus, equitum quingentis millibus, curruum centum millibus, ampliores his acciuere copias, licet primo hoſtium ingreſſu plus centum millia in ſeruitutem eſſent abducta. Quid vis multa? Tantam potentiæ ſuæ admirationem præbuerunt, vt nullus ſuccedentiū regum, prioris fugæ ignominiam nouo pugnæ periculo eluere auderet, nec immerito cùm á nobiliſſimis ſcriptoribus quinque vrbium millia ab his habitari ſit proditum.

De Euſitibus & Gandaris Indiæ populis.

CEleberrima illa Alexandri in Indiam expeditio maximam & terræ & genti potentiæ æſtimationem conciliauit, quem tot victoriarum numero grauem & ſi non aperta fuga, difficultate tamen validiſſimam gentem ſubiugandi reiecit. Nihil eorum vires Cleophidis reginæ cuius non modica in ijs terris erat autoritas, labefecit defectio. Nihil Pori præcipui Indorum regis infœliciſſima pugna. Nihil Adreſtæ, Statheni, Paſſidi cum totis exercitibus cæſi, publicam gentis maieſtatem fregere. Vnica Euſitium natio quæ ducentis equitum millibus in finibus ſuis

bus ſuis Alexandrum operiebatur, tantos ſpiritus, tantam iuuenis regnandi cupiditatem mole ſua retudit. Nec molliores ad Gandaros aditus ſibi repperit, qui intrepidi quoq; eam per terras ſeſe effundentem tempeſtatem audiuerant. Vt enim quatuor Elephantorum millibus eos in armis eſſe audiuit, vniuerſæ Indiæ potiundæ ſpe delapſus, totius orbis victricia arma alio illinc coactus eſt conuertere.

De præcipuis Indiæ populis.

ATq; hæc quidem cum belli vigeret neceſſitas adparuerunt. Cæterũ ex ſeptem tribubꝰ, in quas ea gens diuiſa fuiſſe dicitur, vnicũ militiæ ordinem, quem perpetuo regia fouebat liberalitas, tam vberem virorum prouentum largiſſimo quaſi ſinu effudiſſe maioris miraculi vires habebit. Gandaridum Calingarumq; regi (quorum regio Parthalis vocabatur) lxx. peditum millia. equites mille, elephantorum ſeptem millia in procinctu excubare ſunt ſoliti. Quin & eiuſdem gentis populi Modubæ, Molindæ, Preti, Caliſſæ, Saſuri, Paſſale, Colubæ, Orzulæ, Abali, Toluctæ, regi ſuo quinquaginta peditum, equitum tria millia ad quoſuis belli tumultus ſuppeditabant. Validior his gens Andari regi præbebat peditum centum millia, equitum ij. millia, Elephantos mille. Sed omnium in India potentiam claritatemq; antecedunt Praſij, qui regi ſuo peditum ſexcenta, equitum triginta, elephantorum nouem millia, per omnes dies ſtipendiabantur. Sed ingreſſi itineris longitudo, hinc alio greſſus iubet maturare.

De Æthiopia & Zara rege.

QVID nunc de Æthiopum populoſitate dicam? aut quo ſtili honore eius gentis potentiam celebrabo? Quam reliquæ gentes cladibus, inſtaurandiſq; bellis gloriam meruere, hi vnico hoc nomine in ſe tranſtulerunt, quod nullius vnquã exteri regis ſeruitutis iugum collo ſuo ſuſceperint. Cuius rei

quidam

quidam ementitas etiam quaſdam regionis cauſas attulere, cum minime interiora Æthiopicæ potentiæ ſacraria perſcrutati, eius rei cauſas reperire nequiuiſſent, vano nimirum fictitiorum Deorum cultui adſignantes (cui præ cæteris ea gens deditiſſima eſſe ſolet,) quod potentiæ oportuit tribuiſſe. Quos cũ maximis copijs potentiſſimi orbis monarchæ inuaſerint, nihil aliud quam quod gentis vires manifeſtiore comprobarint teſtimonio, effecerunt. Quanta mole, quanta animo Cambyſem amiſſo exercitu in ſummam infamiam atq; in extremum vitæ periculum coniecere? Semiramidem cui par rerum geſtarum fama, conſilijq; militaris promptitudo animos addidit, repentina fuga, vix ingreſſam excedere compulere. Ne Herculi quidem ipſi etiam inferi regis auſum turbare penetralia huc aditus patuit. Dionyſius quoq; cum cædibus Indiam fœdaſſet, hic crudelitatis ſuæ limites conſtituere coactus eſt. Atque vt ſumma in aliorum armis propulſandis potentia clari fuere, ita ab aliorum limitum affectatione fuerunt alieniſſimi, & vt tuendi propria cura laborant, ita de aliena tranquillitate ſollicitanda non admodum anxij fuere. Zara tamen rex reſides iam ab omni bellico exercitio animos in Iudæorum fines introduxit, veteremq; continentiæ laudem nouo tyrannidis tuendæ, propagandorumq; limitum ſtudio mutauit. Hic quanta ſe belli tempeſtas ſubito effudit. Decies centenis hominum millibus trecentis curribꝰ in Iudaici regni limites prorupit, ſuperatiſq; regni eiꝰ propugnaculis in Mareſam minitantes produxit copias, inopinaq; trepidatione exterritum Aſam qui tum Iudeæ præerat, ad pugnam exciuit. Caſtra caſtris collata ſunt. Eductæ vtrinq; in aciem copiæ, cum hunc immodicus belli adparatus, illũ innocentiæ libertatiſq; tuendæ ſtudium in furias concitaret, ex vtraq; parte valide impreſſa concrepuere arma ancipitiq; victoria pugnatũ eſt, dum cælo demiſſꝰ pauor ſubita trepidatione hoſtiũ perſtringens pectora in effuſam tantos apparatꝰ fugam con-

coniecit, docuitque quanto pacis studium bellicis curis esset commodius.

De Anticoho magno Syriæ rege.

ERit quoq; in vetustatis laudem Antiochi exercitus referendꝰ. Trecenta huic peditũ millia fuere, equitum falcatorũq; curruum non minor numerus Elephanti quatuor & viginti. Quid vis amplius? Tanta fuit hic copiarum fiducia vt non tam de belli discrimine & victoria, quam de victoriæ præmijs etiam ante prælium cogitarit. Insulis occupatus ocia & luxus quotidianasq; sub sericis auratisq; tentorijs iam de belli euentu securus, agitabat commessationes. Huius atq; Romanorum arma apud Thermopylas M. Glabrione consule inter se collisa grauissime concrepuere, quo tonitru vltra quadraginta millia ex regio exercitu adflati concidere. Qua in re cum Romanorũ esset tentata virtus, ad pacem regis consilium spectare cœpit, quod cum iniquioribus legibus grauatum concidisset, reparatis copijs multo terribilior subito adparuit. Hannibal natiuo ab incunabulis ipsis iuramento sancito odio in Romanos ardens instructissima classe cum Romanis infeliciter concurrit. Hac clade nouo ac vberiore supplemento sarta ad Meandrum amnem ac Sypilum montem (incredibile dictu) trecentis peditum millibus, equitum falcatorumque curruum pari numero consederat. Sed nimbosus aer humore arcus fundasq; ac iaculorum amenta emolliens, ipsaque magnitudo sibi obstans, Romanis fugandiq; vberrimam materiam præbuere. Tantis copijs non aliud effectum est, quam quod victoris virtutem splẽdidiore triumpho honorarit, ac terribilem illum Xerxis in Græciam aduentum, fœdissimo euentu in hominum animis fugacissimus imperator renouarit.

De Mithridate rege Ponti.

PLuri-

PLurimum quoq; ſplendoris nobilitatisq; admirandæ vetuſtati Mithridatis potentia, calamitatibus illuſtrior, damnis clarior atq; terribilior reſurgens, conciliauit, Cuius magnitudo non ſuæ ætatis tantum: ſed omnia ſuperioris ætatis regna, infracta virorum virtute ſuperauit. Nec eſt quur in coniecturarum biuijs, vt his dictis fides concilietur, errabundus vager, cum atrociſſimum cum omniũ gentium victore populo, tanto vrbis pauore bellum geſtum, locupletatiſſimum eius potentiæ exhibeat argumentum. Satis fuit Pyrrho quatuor annis Romanam exercuiſſe virtutem, Hannibalis odium, cum ipſo propemodum mammæ fructu imbibitum, xvi. anno irritum cecidit. Hic per annos quadraginta ſex horrido pauore vrbem territauit, ac ſæpius profligatus, terribiliore adſumpta ſpecie (velut hidræ capita vno reſecto vberius olim à poetis dicuntur ſuppullulaſſe) in arma denuo reſurgit, neq; Syllæ fælicitate, Luculli virtute, Pompei magnitudine, cuiuſ aduentũ & caſpia regna, & Moeticaq; tellus horruere pótuit prohibere quo minus in auito regno vita decedens, filium hæredem reliquerit. Quem orbis terrorem & cæleſtes minæ, & inconſueta cometæ portenta miſeris denunciarunt mortalibus. Sexaginta enim dies per vtrumq; & nauitatis regniq; auſpiciorum tempus triſti incendio, quo cælum ipſum conflagrare videbatur, cometa rutilantibus inhorruit crinibus, qui fulgore ipſo ſolis nitorem offuſcare videbantur, vt dij ipſi ad tanti incendij flammam quam cometa præſagire videbatur reſtinguendam, totius orbis vires conuocaſſe videri poſſint. Tanto impetu vndiquaq; tentatum eius fuit regnum. Romanorum prætores qui finitima circum loca regebant, Caſſius, Manius, Appius, diuerſis itineribus qua proximum erat, ad gliſcentis belli flammas ſopiendas in Mithridatem inſurgunt, quilibet quadraginta virorum millium viribus ſuffultus. Aderat & Nicomedes quem præcipue exoriẽs adflarat incendium, peditum quinquaginta, equitũ ſex millia

ſecum agens. Mithridates ex proprijs regionibus peditum ducenta, equitum quingenta millia armauit. Naues cataphractas trecentas dierotas centum, cæterarum ingentem traxit adparatum Latiſſimè ſecundo fortunæ ſucceſſu ſerpentem regis furorem Sylla cum quinque legionibus miſſus compreſſit, atq; ni cum Mithridate illi res fuiſſet, totius belli alea hoc prelio iacta fuiſſet. Siquidem ex centum viginti millium exercitu vix è fuga decem millia recollegit Archelaus belli præſes. Sed quid momenti tanti exercitus cæde eſt factum? Octoginta ſtatim hominum millia in ſtragis acceptæ ſupplementum Archelao in Græciam mittuntur, quibus ſimili quoq; euentu abſorptis, non tam exercitus reparandi diffidentia, quàm nimia imperatoris Romani fortuna permotus, ad pacis conditiones animum adijcere cœpit Mithridates. Sed nimia luxuriantis regni fælicitas, inita pacis fœdera modico interiecto tempore diſrupit, cùm duriſſimis à Sylla præſcriptis conditionibus ſubiectam ſe inique pateretur. Sed ab hac quid magni, quid horrendi expectandum fuit? Exercitum enim quem ſtrages reliquum fecerat victori tradendum, omnemq; belli geſti impenſam ſoluendam, atque intra regni paterni terminos regium cohibendum imperium conditiones latæ mandauerant. Sed quid huiuſmodi frenum potentiæ eius infectum aliud effecit, quàm vt tergo denuo inſidens ſeſſor grauiori impetu excuteretur, Murena præſidio relictus vinceretur; Boſphorus Achæiq; qui vltra ſunt in regni Mithridatici ditionem redigerentur, Cotta in Europam progreſſus Bythinia expelleretur? Nec ſatis fuit Europam bellicoſiſſimorum peditum centum quadraginta millibus vaſtare, ni & eodem tempore Eumacho ingentibus copijs ſtipato, Phrygiam, Pyſidas, Iſaurios, Ciliciam inuadendi datum eſſet negocium. Sed vt tempeſtas hæc atrociſſimos habuit impetus, ſic Luculli virtute breui tantæ bellorum minæ in caſſum cecidere. Fame enim iamdiu preſ-

ſum fu-

ſum fugientemq; Eumachum aſſecutus Æſopum Granicumq; amnes trucidatorum multitudine cruentos reddidit. nec mitior regis cum mari pugna. Centũ enim nauium claſſem adparatu bellico grauem, in Pontico mari adorta tempeſtas, tam fœda ſtrage lacerauit, vt naualis belli inſtar efficeret. Plane quaſi Lucullus quadam cum fluctibus procelliſq; ſocietate inita, debellandum regem ventis tradidiſſe videretur. An quicquam à tot cladibus adfecto rege deinde expectas? Imo in Cyzici obſidione plus quam trecenta hominum millia fame & morbo amiſiſſe fertur, quadraginta rurſus peditũ, equitum trium millium exercitu quaſi reſumptis viribus denuo contra hoſtẽ vadit: quibus quoq; ſimili fortuna profligatis, auaros militũ animos, ſparſo per vias auro ab inſequendo ſe continuit. Neq; hæc illũ calamitas fregit, cui etiam tum delectu habito, ad ſeptuaginta peditum millia, equitum triginta millia habere licuit. Subito Romanos de rebus eius propemodum ſecuros adgreditur, atq; quingentis occiſis reliquos primo prelio in fugam vertit: Acrius prelium repetens, ſeruicijs etiam ipſis in libertatem vendicatis, genu ſaucius atq; ſub oculo ſagitta ictus, pugnam intermittit. Quo curato Romanos conſecutus fœdiſſima fuga, tribunis militum quatuor & viginti, centurionibus centũ quinquaginta interfectis, diſſipat, conuerſusq; deinde ad proximas gentes, totũ fere orientẽ & ſeptentrionem ruina ſua inuoluit. Hiberi, Caſpij, Albani, & vtræq; ſollicitabantur Armeniæ, & quanquã victus debellatusq; victoriam cogitare non deſtitit. Multum ſane admirationis per tanta temporũ interualla geſtum cum clariſſimis imperatoribus bellum ſibi vendicabit. A quibus acceptas clades nouis victorijs ſtrenuiſſime reſarciuit ſæpiſſimè. Nam. L. Caſſiũ. Q. Oppiũ; Maniũ, Attiliũ Rom. duces, captiuos ad ignominiam circumduxit. Fimbriam, Murenã, Cottam, Fabium inſuper ac Riarium prelio vicit, ita vt quãquam victus quo regni ſui ruinas conſoletur, affatim habeat.

De Tigrane Armeniorum rege.

AVsus Tigranes animos secundis rebus tollentes Romanos, virium multitudinisq; fiducia fretus inuadere, infestissimúque vrbi Romanæ Mithridatem pristina potentiæ gloria exutum viribus suis protegere, repentino tumultu ad trecenta hominum millia, Cappadociæ retia innexens, in arma rapuit, etiam quibus terrarum orbis cedebat furorem in se lacessere ausus. Nihilominus tamen quod armis non poterat, victoris clementia obtinuit.

De Hierone Siciliæ rege.

QVÆ ætas non miretur insperatum Hieronis Siciliæ regis aduersus Romanos belli adparatum? qui ducentarum, viginti nauium classem ab excisa arbore quadraginta diebus paratam, è portu in altum eduxit. Quæ tamen adparatus celeritas, nil aliud quàm præmaturæ victoriæ palmam Romanis tribuit, vt prius se victum, quàm hostem vidisset ipsemet fateretur.

De Syracusis Siciliæ ciuitate.

NEque æquum foret Siciliam ab huiusmodi laudis participatione nostro silentio alienam reddere, quam ab vnius vrbis Syracusarum potentia æstimari volumus, ex qua Dionysius peditum centum viginti millia, equitum millia duodecim armauit. Nec minor nauium classis maria obtexit. Magnarum enim nauium, partim triremium, partim quinque remium quadringentarum classem ex vnico eduxit portu. Non exclamem. O tempora. O vrbem bellorum adparatibus, populiq; multitudine florentissimam.

De Parthis.

INter memoratissima ac opulentissima Assyriorum, Medorú, Persarum ac Bactrianorum regna, summæ ante ignobilitatis res Parthica enascens, magnificam & genti & vetustati gloriá conciliauit. Quare & ea nobis in vetustatis laudem nominatissimi

tissimi exempli loco adducetur, quippe quæ sola cum iam omnia Romanorum armis cederent, ijs non tantum pares, sed etiam victrix trinis prelijs, à maximis gestis ducibus extitit. Cum duę Romanæ legiones cuiuis terrori satisfacere posse crederentur, Crasso vndecim legiones in hos ducendæ, equitum quatuor millia, leuis armaturæ par equitibus numerus est adsignatus. Qui cum tanti exercitus strepitum in se agi audissent, inanes ridentes minas etiam alienorum inuadendorum cura atq; occupationibus sese implicuerunt. Periculosissimo enim eum Roman. suscepto bello, Orodes rex Armeniam populans, Surenam quendam autoritate sibi facile secundum impigrum ducē præficit. Tanta barbaro multitudinis opinione inerat securitas. In apertos campos deductum Crassum in grandinis modum cælo præcipitati telis obruit, immodicamq; Consulis cupiditatem ipsius & quod miserabilius vndecim legionum strage expiauit. Neque mitius Antonium quo ea ætas audacia, tolerantia, militaris rei peritia, corporisq; viribus superiorem non temere quenquam habuit, excepere. Licet grauissimum sub Crasso acceptum esset vulnus, exercitus omnis cum ducib⁹ omnibus à Cassio Crassi quæstore, ac post à Ventidio attritus, rex quoq; Pacorus esset cæsus, horribiliores denuo belli vndas sceleratissimus Phrahates excitauit. Antonio sexdecim validissimarum legionum agmen agenti, cuius arma vltra Bactrianos extimuerunt & Indi iterum 400. equitum millibus occurrit, atq; in eas fortissimi Imperatoris res angustias coniecit, vt Artabaxes maximus Armeniorum rex, qui auxiliares Antonio copias iunxerat, desperatis Romanorum rebus, trepidus in regnum refugerit. Quas angustias etiam Antonij ipsius confessio comprobauit. Nam satellitem sacramento adactum compulit, vt cum iussisset se mucrone transfigeret, caputq; corpori ademptum, cum confusis corporibus confunderet, vt nec vivus capi, nec mortuus dignosci ab hostibus posset. Nam & milites

cum in loca ab hoste secura, multis repentino incursu cladibus acceptis, peruenissent non aliter quàm tempestatibus iactati è pelago intuentes terram, sese passim prostrauerunt, ac ad lachrymas ex nimia lætitia ortas & mutuos complexus atq; aggratulationes sint versi. Sed quid coniecturis rem persequor, cum inter initia surgentis eius regni Arsaces primus conditor, populositatis eius gentis, bello cum Antiocho Seleuci filio centum peditum millibus, viginti equitum gesto locupletissima exhibuerit argumenta.

De Gallia.

QVID dicam de Gallica terra olim fortissimorum hominum fertilissima? cuius agri feracitas licet nulli præstantia facile cederet, abundantem multitudinem nec alere, nec Ambigatus rex virtute atq; autoritate maxime pollens, in officio continere potuit. Hic prægrauante turba regnum exonerare cupiens Bellonefo ac Sigonefo sororis filijs impigris iuuenibus quantum vellent hominum multitudinem exciere permisit, quibus in exteras terras deorum augurijs datas deferantur. Sigonesus sortibus Hercinios saltus insedit, Bellonefo haud paulo lætiorem in Italiam dij dederunt viam, qui alpium cœlo iunctorum iugis superatis, fusisq; iuxta Ticinum amnem Thuscis, qui tum venienti occurrebat, clarissimam vrbem Mediolanum condidit. Semel inexpugnabili alpium celsitudine deuicta, nouis semper copijs priorum sequentibus vestigia, tota inter alpes & Padum loca armis tenuere. Recenti tandem augmento fulti; etiam Padus traijcitur, Hetrusci & Vmbri pelluntur, Vrbs tot deuictarum gentium spolijs onusta obsidione cingitur, atq; memoratissima clade absorbetur. Cæterum ea quæ Herciniam syluam insederat tempestas paulatim Pannoniam occupauit. Quæ cum perpetuo in bellis gerendis successu esset vsa, altiores spiritus erigere, cœpit. Quare pars Græciam, pars Macedoniam omnia ferro igniq; depopulantes, &

quacunq;

quacunque irent obstupefactos incolarum oculos in se rap ientes, non terrore tantum sed & corporis virtutisq; admiratione pleraque sibi subiecerunt, effectumq; vt & reges nondum bello lacessiti ad pacem atq; firmanda fœdera ingentem his offerrent pecuniam. Solus Ptolomeus Macedoniæ rex auita gloria ac veteribus Macedoniæ terrarum victricis, virtutis insignibus animos tollens, intrepide eum Gallici exercitus terrorem imminentem audiuerat, quem hostes iuuenili temeritate exultantem atque in aciem egressum, ad perpetuam Macedonici regni infamiam, multis vulneribus saucium capiunt, caputque tota acie ad Macedonum terrorem lanceæ impositũ circumferunt. Eousq; tandem vecors ille animi furor progressus est, vt hominum spolijs fastiditis, impias manus templorum direptionibus incestare, meditarentur. Ea enim fuit hominum colluuies, vt virium fiduciã etiam deos ipsos contemnerent, sacrilegiaq; sua ne à ijs quidem puniri posse crederent. Tanta enim eorũ fœcunditas fuit, vt Asiam omnem velut examine aliquo implerent, deniq; neq; orientis reges sine mercenario Gallorũ exercitu vlla bella gesserint, neq; pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerint. Quam autem falso eos huiuscemodi habuerit opinio exitus declarauit. Ex tanto enim exercitu nemo victor ad patria arua remigrauit. Ad vnum omnes cœleste numen sacrilegij pœnas exercens, diuersis cladibus absorpsit.

De eadem.

SED hæc parua videri possint, trecentis hominum millibus læuatam Galliæ annonam, nisi his omnibus diuersis prælijs à Camillo, Manlio, L. Valerio & Dolabella sic cæsis ne quis extaret in ea gente qui à se vrbem incensam gloriaretur, nouum rursus examen prosilijsset, quod partim animi feritate, partim numero fretum alias sæpe, maxime autem Britomaro duce, lumbos baltheis se non soluturũ sacramento confirmarat, ni

vrbe

vrbe ſecundum capta capitolium aſcendiſſet. Non illud prioris multitudinis clades deterruit, nec exhauſta iam funeribus Gallia tantis inceptis quicquam derogauit. Et iam nouis ruinis erat pridem incenſæ vrbis flammas oppreſſurum, ni Æmilius furore repreſſo, tanto ſceleri obuiam iuiſſet, atq; captum à iuramenti religione in capitolio diſcingens liberaſſet. Neque hic tertium licet recenti hac clade copijs debilitatis, nouis atq; inexhauſtis ſupplementis terribiliores reſurgentes Ariſtonico duce, de incendendæ vrbis conſilio quicquam remiſerunt, tanta ſpe atque vincendi fiducia, vt Marti torquem ex Romanis fundendis fouerint. Impij huius conatus repreſſi, tu Flamini, gloriam tibi habeto. Ne huius quidem pugnæ infeliciſſimo euentu impediti, ſub Viridomaro rege quartum arma reſumũt. Hanc pugnam à Marcello Ioui Feretrio, tertia poſt Romulum opima dicata ſpolia, claram omnibusq; ſeculis memorandam effecerunt. Non ſumma hic admiratio occurret, toties belli alea infœliciſſimè tentata maioribus copijs acceptam cladem reſartam eſſe, toties victis recentes ſuffeciſſe milites, tot cladibus fractam Galliam non tantum iuuenili vigore ſtetiſſe inconcuſſam, ſed nouis ſemper belli minis ipſos etiam victores territaſſe.

De bello Cimbrico.

AGE Cimbricus quoque terror quantum inexhauſtæ viris Galliæ gloriam tribuit, qui ab extremis eius finibus profugi Teutonis Tigurinisq; quos idem furor agitabat adſumptis, nouas ſedes toto orbe quærebant. Hi terra ſibi à Syllano atque ſenatu Romano negata, quod eo temqore reſp. agrarijs legib' pernitioſiſſimè contenderet, precibus negatum locum ferro ſibi aperire conſtituerunt, Opponentes ſe Syllanum, mox C. Manlium, deinde Cepionem facili victoria in fugam coniectos trinis caſtris exuerunt. Et iam immaturo excidio in Romanum erat lapſurum imperium, ni tertius Romanæ vrbis conſeruator Ma-

tor Marius eo contigiſſet ſeculo. Qui impetuoſam Barbarorū violentiam leui certamine expertus, militem ſeu timore, ſeu commodioris rerum agendarum occaſionis expectatione in caſtris continuit. Mora Romani militis altius animos erigentes Barbari, etiam caſtra adoriuntur quæ cum fruſtra oppugnaſſent, pars vulnerati, pars pilis obruti increpantes diſceſſere. Tum primum quæ tempeſtas in montibus conſediſſet, adparuit, Totos ſex dies Marij caſtra prætergrediebantur, ecquid habeant quod vxoribus mandari per ſe velint milites irriſorie interrogantes. Tanta capiendæ vrbis fiducia tumentes Marius à tergo adgreſſus in loco quem Sextias aquas vocant oppreſſit, qua pugna horum plus quā decem Teutonum myriades ſunt abſorptæ, Cum non minore interim (licet hoc terrore ſublato) Catulus qui in Cimbros ſecundo agmine alpes ſuperare nitentes exercitum duxerat, timore quateretur, collegam Marium eoque ſeſe tranſitu prohibere eos diffideret, victricibus armis adſit quam primum per literas commonefacit. Hic primo Gallicæ patientiæ adparuerunt exempla, Vt enim robur elationemq; animi oſtentando Romanorū caſtris terrorem incuterent, nudi per altiſſimas niues atq; alpium glacies incedebāt, & cum non paulo difficilior deſcenſus quam aſcenſus foret, nouo inuſitatoq; modo huic miſeriæ occurrerunt. Scutis latiſſimis corpori ſuppoſitis per præcipitia atq; locorum abrupta ex alto in deſcenſum ferebantur. Obiecta & altera huic terrori fuit difficultas flumen Atheſis, quem non ponte, non nauibus; ſed Gigantæa violentia, tumulis vicinis euulſis, montiumq; præruptis, vaſtiſſimis trabibus flumen oppletum tranſiere. Eam ſpirantes ferociam ſi vrbem acceſſiſſent, vltimus ille dies regno gentiq; fuiſſet. Qua ſenſim natura cœli, vini deliciarumq; dulcedine langueſcente Marius molliores ad eum terrorem delendum aditus inuenit. Dictus pugnæ dies. In aciem progreſſum eſt. Catulus viginti duxit millia. Marius duo &

triginta Barbarorum acies quoquoversus per triginta extendebatur stadia. Variè diu certatum est victoria. Tandem & ipse æthere Romanis militante, horrenda Barbarorum strages editur. Pars furijs acti sibimetipsis cruentas manus intulere, partim fugientes à fœminis suffocati sunt. His casibus licet innumerabilis multitudo ceciderit, captæ tamen sunt sex myriades, cæsi vltra centum millia. Tertium Tigurinorum agmen quod quasi subsidio Norica insederat alpium iuga, in diuersa lapsum fuga ignobili euanuit.

De eadem.

SED quid moror. Omnibus his bellum contra C. Julium Cæsarem decem annos gestum, omnes omnium propemodum gentium copias non parum excedens fidem adferat. Hic si alias vnquam pro imperio, sed pro salute dimicatum est. Siquidem cum iam Romani per omnes terras victricia circumtulissent arma, se tutos nisi Gallia quoq; domita planeq; contusa fore desperarunt. Tantam fera Barbaries proximis prælijs in victorum animis virtutis multitudinisq; reliquerat admirationem, vt si is denuo furor per alpium iuga infestis agminibus maiorum repetens pœnas sese effudisset, Italiam totius orbis victricem turpi fuga Romani fuerint relicturi. Sic enim vt inquit ille semper Romani habuere. Omnia virtuti suæ perula esse: Cæterum cum Gallis non de imperio sed salute se pugnare solitos. Prima belli tempestas ab Heluetijs angustioribus quàm pro tanta multitudine limitibus clausis est orta. Quos ne cuiquam spes in patriam reditus foret efferata rabie incensis mœnibus, se per Galliam trecentis sexaginta hominum millibus effundentes, non aliter quàm ad stabula pecudes domum redire coegit. Quo conatu represso, horribilior denuo belli facies è Gallia adparuit, Belgæ enim fortissimus totius Galliæ populus, senescentis apud se Romani exercitus tœdio in arma coniu-

coniurant, inter quos Bellouaci quorũ prima & virtus & autoritas, hominũq; numerus erat, ex ſeſe lectiſſima ſexaginta hominũ millia armarunt. Sueſſiones quinquaginta, totidem neruij. Atrebates quindecim. Ambiani decem, Morini quindecim, Menapij ſeptem. Caletæ decem, Verocaſſes & Veromandui totidem. Tatuaces viginti nouem, Condruſi, Eburones, Cæreſes, Pœmani quadraginta millia dicto citius conflarunt. Quæ copiæ caſtra latitudine amplius millia paſſuum octo patentia, Cæſaris aduentum expectantes inſederunt, Leui tandem conflictu Romanorum virtutem, Cæſariſque fortunam experti, cum retro domum quiſque inordinato agmine rueret, maturam hoſti victoriam, ſeſeque quantum erat diei ſpacium cædendos præbuerunt, vt terribilioreſne ante conflictũ, an nunc deſpicatiores Romanis ſint habiti haud facile dixeris. Ac clade hac nihil debilitatos libertatis vindicandæ ſpe Vercingetorix ille corpore, armis ſpirituq; terribilis, coactis peditum circiter ducenta quadraginta millia, equitum ſeptem, in arma concitauit. Ipſis præterea capitibus vrbibus firmiſſimo præſidio munitis, Auarico quadraginta milliũ, Alexia ducentorum quinquaginta millium, Gergouia cui maxima belli rabies incumbebat, octoginta millium iuuentute ſuffulta. Fœlicem virtute numeroque Galliam, ni eam Cæſaris fortunæ dij in gloriam reſeruaſſent.

De Hiſpania.

PRoxima è Gallia digreſſum Hiſpaniæ nobiliſſima terrarum regio excipiat, cuius ſi inuictiſſimæ opinionis exercitus à primis quibus ea nobilitata eſt regio copijs exordium traham, quis non videt quam inextricabilibus Labyrinthorum ambagibus me inuolueram: deinde hoc quid ſit aliud quam inutili labore ocium noſtrum perdere, ſimul & tœdio multitudinis, patientiam lectoris tentare. Omiſſis igitur fallacis erroris itineribus, mucido iam ex vetuſtate ſitu collecto obductis, notiores frequentique pede tritas peragremus ſemitas.

 Sic

Sic enim iucundior olim transgressi itineris futura est recordatio, & ego faciliori aditu ad animo destinatam metam citius peruenero. Maxima autem inexhaustæ multitudinis hæc dedit documenta secundi punici belli tempore, vtriusq; partis Romanorum & Chartaginensium exercitibus ei incubantibus, enixeque eam armis retinere conantibus, quo in bello ipsa sibi Hispania stragis fomitem atq; alimenta subministrauit, dum alternante fortuna cladibus exhaustos nouo supplemento subministrato, in spem prouinciæ retinendæ erigeret. Quanta rursus (dij immortales) Hannibalem vix Hispaniæ appulsum belli tempestas excepit? Carpentanorum, Olcadum, Vacciorumq; centum millia grauem rapinis prædaq; exercitum turbarunt. Quæ ille ferro incendijsq; omnia proterens victor funera edidit? Quot Saguntina miserrima clades populos absorpsit? Quantas sola huius ciuitatis deuastatio copias hausit? Quanta vero Hispanicæ multitudinis documenta edidit, quæ Hannibalis copias centum quinquaginta hominum millia ad octauum vsq; mensem sustinuit, vt minime mirandum sit eam regionem per annos viginti tres arma exercuisse, priusquam seruitutis iugum in se acciperet. Hoc præter omnia omnium gentium exempla miraculi habet, quod cum intestinis bellis quantumuis validarum gentium frangantur vires, hæc cum periculosissimo bello in sua viscera per annos quatuordecim, (quibus pars Romanis fouebat viribus, pars Carthaginensium fouebat amicitiam,) enses sceleratos conuerterit, firmo tamē stabiliq; pristinæ virtutis perstitit vestigio. Minimo temporis momento florentissimum illud Macedonum regnum, dum intestino diffidentium hæredum quateretur bello, concidit. Romanum quoq; regnum etiam remotissimis gentibus tremendum, quantas sceleratissimo Pompei & Cæsaris bello ruinas traxit: cum Hispania quæ tot annos mutuo certarat odio (hinc Scipionibus, hinc Carthegīnensium imperatoribus populos in bella

in bella cientibus,) ætate tam longa Romana exercuit arma. Atq; hæc quidem omnia, non in commune collatis totius regionis viribus, sed alterna conspiratione pro vt belli contagio serpserat. Nunquam enim vniuersæ Hispaniæ simul ad bellum insurgendi animus fuit, neque vnquam collatis viribus libertatem publicè tutati sunt, sed sola prouinciarũ omnium postquam victa fuit se cognouit viresq; intellexit suas. Quæ licet tam segniter bella gereret post ducentos prope annos, quibus insidiatum ipsorum libertati est, Romano tandem paruit imperio. Quid de Numantia dicam, quæ totius orbis terrarum viribus suffultum populum per totos quatuordecim annos, sine muro, sine turribus, modice tantum edito in tumulo sita, non tantum sustinuit, sed continuis cladibus ita attriuit, vt non nisi ab eo qui Carthaginem delerat tanti hominum spiritus retundi posse viderentur. Viriatus quoq; ille ex venatore latro, ex latrone belli dux factus, quantam Lusitaniæ huius admirationis gloriam dedit? qui armis resumptis per quatuordecim annos, omnibus citra vltraq; Hiberum Tagumq; flumina igni ferroq; depopulatis, Romanis, horumq; imperatoribus Claudio, Virimano, deinde Nigidio oppressis, libertatem tutatus est. Atque hæc quidem omnia prout priuata aliqua iuiuria aliquam eorum gentem adflarat. Quid facturi, Quas copias producturi fuerant, si iunctis auxilijs Martis aleam tentassent aliquando, aut si priusquam in terris suis alienos incubare permisissent imperatores, potentiam multitudinemq; cognouissent. Quorum licet vires in aperta non proruperint exempla, ego tamen eas simili orationis quo cætera elogio prosequar, ac quæ fieri ab his potuere, tanquam si præstita sint sum habiturus.

De Africa.

CRispus Salustius celeberrimus Romanæ historiæ scriptor, de Chartaginis opulentia gloriaq; dicturus, veretur ne di-

cendo rem vero minorem efficiat, quanto magis mihi earum cautium periculum, cui exigua orationis vena laborantibus vix emanat guttis est pertimescendum? quanquam non suis coloribus lineamentisque rem depingere, sed tanquam notis quibusdam positis cuiusmodi ea natio claruerit exemplis indicare mihi sit propositum: quæ non aliunde commodius quàm ex sumptuosissimis quæ cum omnium terrarum victore populo Romano gesserunt bellis, spectabuntur. Non denego interim tamen suam gloriam Colonijs in Hiberiam vsq; ab eodem populo emissis, Carthaginis Hispanicæ structuræ, victorijs magnificentissimis quibus Sicilia, Sardinia & quæcunque mari illi adhærent insulæ occupatæ sunt, Non classi qua totius Africæ apparatus copiæ vehebantur à Duillio Rom. Imperatore fugatæ mersæq;, cum tamen eodem tempore ea belli moles in terra hæserit, quæ Attilij Consulis opprimendi spem auderet concipere, cui etiam euentus responsurus fuerat, ni singulari M. Calphurnij tribuni militum virtute tanta trepidatio esset profligata. Atque hæc quidem in Sicilia. In Africa interim ijs copijs emicuere vt cæde non profligari, sed irritari vires viderentur. Terris omnibus mariq; excussi cum nihil præter Carthaginem sibi reliquissent, trecenta castella in littore cum iusto præsidio erexere, quæ Attilij Reguli virtute omnia sunt prodita. Prospere enim hactenus cum hostibus pugnarat Regulus, Magnam iuuentutis vim ducesq; ipsos prelio captos, classem præterea preda triumphisq; grauem in vrbem miserat ipsumq; belli seminarium obsidione vrgere, ipsisq; Chartaginis portis inhærere cæperat. At ne sic quidem horum potentia conuelli dissipariq; potuit. In tantum enim subito terrorem duce Xantippo Lacedemonio terrorem insurrexere, vt Romanũ iam non de bello sed belli reliquijs conficiendis cogitanté, exercitu fœdissima clade cæsa vivum prælio ceperint, atrocissimo exemplo trucidarint, qua re effectum est vt qui de ipsius

Cartha-

Carthaginis mœnibus trepidarant, iam in ſpem de Sicilia recipienda venirent. His conatibus occurrit Metellus. Eius prælij cladem ſpecioſiſſimus ex hoſte reportatus triumphus Metelli, in quo quatuordecim Africæ duces, centum viginti Elephanti populo oſtendebantur, docuere. Nec ſatis. Iam claſſis per Italiæ maria bellum portans volitabat, quæ tempeſtatibus oppreſſa, Africam, Syrtes, omnium imperia gentium, inſularũ littora naufragio oppleuit. Hic quis tantis cladibus obrutos in noua arma inſurrecturos credat? Mirabile viſu, ſexcentarũ nauium claſſe exercitu, armis propugnaculisq; grauida Himilcone imperatore proſiliunt, quæ à Luctatio Catulo apud Ægates inſulas depreſſæ, totum inter Siciliam Sardiniamq; Pelagus naufragio operuerunt.

De ſecundo Punico bello.

TOT continuis cladibus quid effectum eſt aliud à Romanis, quàm quod aduerſis calamitatibusq; in maiorem audaciam euectos Carthaginienſes in perniciem ferè ineuitabilem armarunt, & quos iam fractos de proprio regno laborare credas, in totius orbis ſpem euexerint. Res plane eſt omni ætati admirãda poſt primi belli tempeſtatem, quæ viginti duos annos, non dico cædibus ſed ſtragibus innumeris editis tonuerat, vix quadriennij conceſſa requie, multo terribilius cladium atrocitate ſecundum exortum eſſe, quod trecenta atq; eo amplius hominum millia cædibus, quadringẽtas vrbes in Italia per ſex & decem annos Hannibale duce incẽdijs hauſerat. Eo tempore maxime Carthaginis vires in apertũ prorupere. Eiuſdem n. propemodum belli tempore Hannibal 90. peditum, 12. equitum millia Iberũ traduxit. Saguntoq; Romanis confœderata, octo menſiũ obſidione capta, inuia Italiæ clauſtra alpes nubibꝰ iunctos tranſcendit. Scipionẽ apud Ticinũ, apud Trebiã Semproniũ longũ, Flaminiũ apud Traſumenũ, Paulũ & Varronem apud ignobilẽ vicũ Cannas ſuperauit, & Hiſpaniã. q̃ à Rom. legatis ſol-

ſollicitari audiuerat, Haſdrubale fratre, præſidioq; peditum Afrorum xi. mil. octingentorum quinquaginta Ligurum, trecentorum Balearium, non contemnendi quoq; equitum numeri Elephantis quatuordecim, claſſe quinquaginta quinqueremium firmauit. Erant & octodecim peditum millia, funditores octingenti, equites mille ducenti patriæ præſidio relicti: ſi fortaſſe quid noui ſe abſente emerſiſſet. Neque ſegnius interim illos Siciliæ recipiendæ ſpes ſollicitabat. Sub idem enim tempus nauium longarum quinq; & quinquaginta claſſis in magnum Syracuſanum portum ex alto decurrere. Himilco quoq; viginti quinque peditum millibus, tribus equitum, duodecim Elephantis Heracleam cæterasq; eius oræ ciuitates ſollicitabat. Aſdrubal Giſconis delectu habito, breui cladem à Scipionibus acceptam nouo ſupplemento reſtituit, atq; de integro belli fortunam de Hiſpania recipienda tentauit, Hannibali quoq; Italiæ incubanti in ſupplementum eorum quos intolerabile alpium frigus, pugnarumq; cum alpinis hominibus alternans fortuna abſumpſerat, ſexaginta Numidarum millia, ſexaginta Elephanti, auri argentiq; multa talentorum millia, à Carthaginienſibus ſunt miſſa. Quanta deinde Scipionem in Africam trangeſſum belli mole Aſdrubal Giſconis & Syphax excepere? Ille triginta peditum, tribus equitum millibus, hic quinquaginta peditum millibus omnia late vaſtanti Scipioni occurrunt, quibus bis victis tanta tamen belli inſtaurandi ſedit Carthaginenſibus fiducia, vt diuerſis in ſenatu relatis ſententijs, ea quæ arma reſumenda ſuadebat amplecti maluerint. Centum naues quæ ad intercludendos commeatu Romanos more tenebant, militibus armiſq; inſtructæ Romanam claſſem quæ in Vticenſi portu ſteterat, ſubito inuaſere, etiam fugæ abituſq; ſpem ijs quos decedere merito optare debuerant, tentantes eripere. O admirabilem fiduciam. O orbis imperio dignos Carthaginienſes, quos ita ſpes comprimendi hoſtes iam toties

victores

victores erexerat, vt quos post ipsas Carthag. portas obsidione quatientes conspecturi erant, resumptis armis se opprimere posse sperarint, & cum de mœnibus trepidare deberent, ac quouis modo hostem ad abitum sollicitare, retinere tamen eundem victoriæ spe non dubitarunt. Nec Syphacis interim animum priorum calamitatum memoria labefactarat, intuentis virorum equorumq; copiam, regniq; per multos annos florentis vires, quæ etiam desidi degeneriq; pectori animos addere possent. Exercitu igitur haud minore eô quem ante habuerat, atq; adeo prorsus nouo, Masinissæ Lelioq; proximus castra metatus est. Sed priore insequente fortuna captus Masinissæ iucundum præbet spectaculum. Sic tanta renascentis belli nebula breui Romanorum atq; Masinissæ discussa virtute, pacis futuræ serenitatem visa est promittere, quam tamen rursus Annibalis ex Italia reuocati aduentus conturbauit. Expertus tandem Scipionis fortunam, nón tam militũ inopia, quàm senescentis iam atq; adeo Campanis delicijs animi vi fracta arma dissuasit resumenda. Mirandum dictu post tanti ducis confessionem, fuisse qui ad dissuadendam pacem processerint, repertosq; qui eorum sententiæ aures accommodarint. Vincentibus tandem fatis, tam tristi lugubriq; bello quod Carthaginis potentiam perpetua hominum admiratione celebrabit, finis est impositus.

De eadem.

QVis iam non cum Carthagine præsertim durissimis subacta conditionibus bellum iam decoxisse atq; consenuisse credet? At inquam iuuentæ spem senectute deposita breui reuiruit? Atq; hæc maxima huius laus, quæ superstes Romanis etiam victoribus libertatis spem adimebat. Siquidem non ita multo post secundi belli inita fœdera, cum forte Romanorum legati componendis contentionibus quæ ijs cum Masinissa de regni limitibus exortæ erant, euocati, regionem per occasio-

nem ſcrutarentur, magnosq; adparatus, ſplendores, oſtentantem, ciuiumq; multitudine non multo poſt Scipionis victoriá adauctam conſpexiſſent, reuerſi, non tam emulatione, quàm metu indies inualeſcentis vrbis, nihil tutum illis eſſe, atq; adeo ne libertatem conſtare poſſe, Carthagine ſalua atq; incolumi exponétes, procliuem per ſe ſatis in eam rem metu exorientis potentiæ, ſenatum in bellum ſtimulant. Manilio Cenſorinoq; conficiendi belli datur negocium, qui in altum euecti, repentino ac ne belli quidem nuncijs pro more miſſis, vrbem territarunt. Falſa tandem pacis ſpe iniecta claſſem acceptam in ipſius Carthaginis conſpectu incendere, ducenta armorum millia, ſagittarum telorumque infinitam multitudinem, catapultas præterea & iacula vſq; ad duorum millium numerum pro pacis redemptione accepere. Cum tandem omni moto lapide, fixa euertendæ Carthaginis ſederet ſententia, patientia in furorem verſa, timore in audaciam, quæcunq; & facere & pati, quam vrbe excedere, atque ſi defendere non liceat ſimul cum ipſa interire animo obfirmato decreuere. Omnes tum bellicis inſtrumentis vacabant officinæ, clipeos centum, enſes trecentos, catapultas mille, ſagittas mille, iacula quoq; & lanceas quingentas ſingulis diebus cuderunt. Quæ autem rabies? Mulieres capillos funibus nectendis cōtulere, in nouæ claſſis vſum tecta domoſq; reſcidere, aurum argentumq; pro ære ferroq; conflatum eſt. Auſi etiam ſunt à repentino metu aliquantulum recreati, Cenſorinum tumultuaria multitudine coacta vallo deijcere, ingentem armorum vim Himilcone duce rapere, caſtra incurſu territare. Quicquid per diem Machinis convellitur, noctu reparatur, pluſquā cum ſemi ruta ciuitate, quàm cum integra negocij fuit. Et iam videbantur obſidionem virtute ſua ſoluturi, cum Scipio fatale Africæ nomen imperium curamque negocij conficiendi adgreditur. Vrbs capitur, per ſeptem integros dies cædes continuatur, incendium omnia fœdat.

fœdat, ac paſſim ſenes pueros mulieresq́; quibus militũ rabies pepercerat, ruinis opprimit. Sed Deum immortalem, quanta rurſus quaſi ex ſopito incendio, flamma emicuit. Quadraginta virorum millia quos Byrſa tuebatur, ſalutis indulgentia impetrata Scipionis ſeſe fidei dediderunt. Sic florentiſſima omnibꝰ rebus, armis, diuitijs, audacia & promptitudine facile princeps ciuitas, non tam vi quàm pop. Rom. fortuna, incendijs hauſta ſibi atq; Scipioni perpetuum admirationis decus conciliauit. Tam ſpecioſa adparuiſſe exempla in populo non tam bellis quàm peſtifera lue ſub idem tempus exagitato quis non admirabitur. Vix enim à bellorũ incendijs quieſcentem regionem, horribilis perditio inſecuta eſt. Immenſa locuſtarum vis omnia depaſcens rapido correpta vento diuq́; per aerem portata, Aphricano tandem immergitur Pelago, quæ cum vrgentibus vndis per extenſa latè littora eſſent propulſa, tetro & tabido odore aerem corrumpunt. In Numidia cui tunc Micipſa rex præerat, octingenta hominum millia circa maritimam oram cui Carthago Vticaq́; incumbunt, pluſquam ducenta millia, M. Plautio, & M. Fuluio conſulibus extincta dicuntur.

De primo Rom. bello aduerſus Siculos & Chartaginenſes geſto.

POpuli Romani potentia poſt annum ab vrbe condita quingenteſimum, quum domita tanto tempore Italia in virilis ætatis robur adoleuiſſet, tandem adparuit. Nam quanquam præcedens adoleſcentiæ tempus, viris armisq; concitatiſſimũ, iuuenili quodam furore exarſerit, non tamen virili ſtabilitate roboreq; fultum, iuſta potentiæ adultæ edidit argumenta, priuſquam omnibus intra alpes fretum ac maria vtraq́;, in loca ab orbe ſuo ſemota arma victricia contulit. Tum demum quanta ſe ſubito tempeſtas effudit? Hieronem Syracuſanum regem, Pœnorum iunctis copijs ſuffultum, tanta celeritate oppreſſit, vt rex ipſe in Romanæ potentiæ laudem, ſe ante victum, quàm congreſſus fuerit, confiteretur. Pœnorum præſidium Agrigen-

tum opere manuq; firmissimum obsessum ab ijsdem est: neque potuit adueniens Hanno cum triginta peditum millibus, obsidentes turbare impedireq; quo minus post victoriæ laudibus fruerentur. Nec minor mari potentia. Annibale enim seniore Italiæ oram vastante, intra sexagesimum quàm sylua cæsa fuerat diem, centum sexaginta nauium classis perfecta, omnibusque instructa armis in ancoris deducta stetit: vt non artefactæ, sed quodam deorum munere nauium formas induisse arbores viderentur. Hinc quodam quasi contagio in proxima serpente bello, Sardinia Corsicaq; peti ceptæ sunt. Pænorum cedi imperatoris Hannonis morte adcedente, omnis ea natio quasi vento dissipata euanuit. Tantis iam concitatarum gentium motibus, tantis armis, tantis molestijs difficultatibusque nouus quoque labor adijcitur. Trecentis triginta nauibus in Africam bellum nauigat, Clupea prima in deditionem recipitur. Trecenta castella subito expugnantur, circumequitantis agminis aspectu miseri ciues Chartaginisq; portæ trepidarũt, nec Hasdrubales duo, nec accitus ex Sicilia Hamilcar nouam illam ex gentium exterarum victorijs partam alacritatem impetumq; sustinuere. Bellica inundatio quasi ruptis aggeribus omnia vastat, sternitq;. Decem & septem millium clades editur: quam stragem oppidorum octoginta duorũ deditio consequitur. Quid profuit Xantippum Lacedemoniorum imperatorem innumerabili Pœnorum, Gallorum, ac Hispanorum quos mercede conductos habebat multitudini præpositum suppetijs ferendis ad uocari? Quid clades triginta millium ab hoc commissa, duci cathenæ iniectæ Romanorum vires attriuit, si ex interfectorum sanguine, trecentarum nauium classis subito emerserit, si duobus fortissimis ducibus vnus sit commutatus. Si deniq; victorem Xantippum aduentus sui fama Romani prouincia expulerint? Quod & euentus ipse paulo post docuit. Nam dũ tanto terrori venienti pari classe obuiam

itur,

itur, centum triginta quatuor aut fluctibus aut hostibus produntur. Hannones duo validissimo comparato exercitu, nihil aliud quam se cædendos præbuerunt. Sed debuit maiori iactura Romana potentia exerceri. In Italiam classis victrix remeans opulentissima predis, triumphisq; diues, cum aduersis ageretur ventis, naufragio Africam & Syrtes, omnium denique imperia gentium, insularumq; littora impleuit. Ex trecentis enim vix octoginta abiectis oneribus (miserabilis rerum facies) ab vndis superstites remansere. At non potuit huius periculi metu nimia horum potentia refrenari. Seruilio Cepione, Sempronio Bleso consulibus, ducentarum sexaginta nauium classe iterum in Africam transuehitur bellum. Rebus fortiter fœliciterq; gestis, omnia ora maritima deuastata, plurimis captis euersisq; ciuitatibus, ingenti preda ad littus acta, cum in Italiam retro iter tenderetur, centum quinquaginta naues scopulis illisæ, prædam fœliciter partam, infœlicius amisere. Hinc acriores potentioresq; resurgentes in Sicilia apud Panormum ita hostes Carthaginienses ceciderunt, ne amplius in ea insula concitarentur. Ingentis victoriæ argumentum centum & quatuor elephantorum captiuitas. Hæc quoq; victoria cruentissima clade fœdata est. Ambo enim consules cum ducentis nauibus & quatuor legionibus profecti Lilybæum, maiore exercitus parte amissa ægre euaserunt. Claudium quoque Consulem eadem fortuna est insecuta, nonaginta enim nauibus aut captis aut demersis cum triginta vix in castra incolumis peruenit. Iam totius Italiæ syluas nauium fabrica exhaustas quis non crederet, ni Luctatius ducentarum nauium classe in Siciliam transuectus, certam hosti victoriam è manibus eripuisset. Vix miserabilior clades, vix admirabilior vnquam contigit victoria. Tantam classium iacturam splendidiore numerosioreq; multitudine minimo temporis spacio, tanquam ex naufragio noua suppullulante classe resartam, quis non miraculi loco duxerit?

cuius tantæ fuerunt vires, vt quadringentas naues turpi ac inhonesta fuga quoquouersus disijceret, sexaginta tres cœperit, centum viginti quinq; alto demerserit, vltra quadraginta quatuor aut bello cœperit, aut interfecerit. Dij immortales quot exercituum agmina, quantus nauium numerus, eo bello adparuit, vt non Roma Chartagini, sed vniuersus terrarum orbis mutuis viribus concurrisse videatur.

De secundo bello Gallico.

GAllicum quoq; bellum secundum non exiguam veteris potentiæ habet admirationem, præsertim in populo, per annos quingentos varijs maximisq; bellorum motib⁹ exagitato. Erat per ea tempora cum vicinis totius Italiæ populis cruentissimis sæpe luctatum victorijs: Sabinis, Veientibus, Ceniensibus, Albanis, Ardea, Otriculo, Gabijs, Suessa, Pometia cum opulentissimo Hetruscorum rege Porsenna, cum vniuersa Latio deniq; cum Gallis vniuersi exercitus clade, vrbis incendijs atq; ruinis, cum Pyrrho clarissimo Græciæ rege, totius Epyri, Thessaliæ, Macedoniæ, armis, inuisis in id tempus beluis, Appulorũ, Campanorum, Lucanorum viribus fulto luctuosissimo prælio pugnatum. Incredibilem hominum nauiumq; vim, primi belli Punici in tempestas absorpserat, vt exhaustas iã arboribus syluas, hominibus ciuitates credi posset. Sed Romanorum potentia calamitate non supplantari: sed efflorescere adsueuerat. Gallorum enim tumultu nunciato, tanta quanta haud temere alias multitudine in armis extitere. Peditum septingenta millia, equitum millia octoginta, ex sua tantum Italia sine externis vllis auxilijs, atq; etiam tunc sine transpadanis armarunt, effectumq; vt quam primo incursu auro superbi pacem vendiderant, nunc supplices precibus postulare cogerentur. Nihil enim aliud prior illa Gallorum in Romanos strages edita, nihil aliud incendium effecerat, quàm vt vrbs noua per annum erecta vnum, priorem paupertatem, Romulique casas abscon-

deret,

deret, atque ex cæsorum sanguine, velut ex Lernæa hidra, multa armatorum millia subito enascerentur.

De secundo bello Punico.

TVmultuosissimam illam Gallici belli tempestatem, grauiores Africæ violentiæ motus excepere, in quo præter omnia quæ vnquam gessere Romani bella, potentiæ summæ eluxere indicia, quo neq; cladium atrocitate terribilius, supplementis amissarum legionum admirabilius, odio vtriusque populi perseuerantius, vllum aliàs adparuit. Hannibali ruptis inuijs rupibus, cæloque iunctis alpibus superatis in Italiam descendenti Scipio consul occurrens, omni propemodum exercitu cæso, prætextati filij Scipionis (cui post Aphricani nominis accessio ex virtute facta est) pietate, grauiter vulneratus vix euasit. Hæc prima tempestas apud Ticinum amnem detonuit, Supplementis nouis exercitu firmato pari clade rursus eodem consule dimicatum est. Nec Sempronius Longus collegæ periculo ex Sicilia auocatus, mitiore fortuna conflixit: quippe qui omni amisso exercitu solus penè fuga periculo se subtraxerit. Tantis cladibus cruentissima ad Thrasumenum lacum viginti quinq; millium Romanorum, ipsius quoque consulis Flaminij cædes accessit. Quantus ibi armorum crepitus, quis pugnantium ardor, Grauissimum motum terræ fundamenta quatientem, qui & vrbes integras eliserat, fluminum vortices retrò egerat, vtraque acies cædibus intenta omnino non sensit. Tantum respirationis Romanis datum est, tantum requiei sensit, quantum Fabij Maximi cunctatio, mora non acie dimicantis impetrauit. Sed erat maiori clade Romana potentia nobilitanda. Restabat ignobilis Apuliæ vicus Cannæ, qui populi Romani clade vt ante Thrasumenus, debuit nobilitari. Hic quadraginta quatuor Romanorum millia miserabili clade, Varronis consulis impatientia trucidata,

Aufidi-

Aufidius cruentas trahit vndas. Fluminis meatus corporum ſtrage ſuffocantur, Tres annulorum modij in victoriæ magnitudinem Carthaginem ſunt miſſi. Eadem quoque fortuna L. Poſthumus Galliam prouinciam ſortitus, cum viginti millium exercitu eſt cæſus, Sempronius quoq; Gracchus proconſul in inſidias ductus, cum exercitu iuſto trucidatus eſt. Centenius Renula obſcuræ originis, præcipitis audaciæ vir, cum octo millibus occiſus eſt. G. Fuluius Pretor exercitum præterea eodem tempore amiſerat. His tot malis circumuentos in ſpem Hiſpaniæ armis retinendæ, Scipionib⁹ validiſſimo exercitu credito, veniſſe, tria inſuper tranſmarina ſuſcepta bella: Macedonicú, contra Philippum potentiſſium regem, alterumcontra Aſdrubalem Annibalis fratrem. Tertium in Sardinia. Syracuſas præterea obſidione cinctas, captas, domitas, Capuam receptam quis credet? niſi qui eodem tempore Hannibale ad vrbis mœnia ſedente, milites ſub vexillis, auerſa porta in cæſorum ſupplementum in Hiſpaniam miſſos cognouerit. Nunc Scipio in Africam terram hoſtilem eiuſdem belli tempore miſſus, cú longarum nauium duarum ſupra quinquaginta, onerariarum quadringentarum claſſe, celocum interim ac lemborum innumerabili multitudine, tantis copijs, vt volucres ad terram militum ſublatus ad æthera clamor deiecerit, nemo aut in Sicilia aut in Italia relinqui videretur, quantam potentiæ gloriam vetuſtati conciliauit? Stupet magnitudinis memoria animus, tot acceptas clades, tot præſidia vrbibus lociſq; oportunis diſpoſita, tot in armis cum exercitibus conſules, proconſules, prætores, Capuam obſeſſam, excuſſa Annibalis præſidia, Syracuſas expugnatas, Hiſpaniam armis vindicatam, Sardiniam bello receptam, ipſam illam hoſtilis exercitus ſeminatricem belli caput Africam, cum res Romanornm deploratæ crederentur, quod intentarat, ſeruitutis iugú in ſe coactam fuiſſe accipere. Sed animus ſtiliq; vigor magnitudini operis ſuccumbit. Tan-

bit. Tantas turbines, tantas Romani imperij clades, quæ excepit tranquillitas? Macedonici nempe belli procella. Initi cum Hannibale fœderis dum Italiæ inhæreret memoria, Athenienſiumque ſupplicum preces, quos Philippus inſolentius habere videbatur, pronum iam atq; per ſe ad bella præcipitem populum perculerê. Bis rex victus, bis fugatus, bis caſtris exutus, à conſule pacis conditiones petere cogitur. Sub Nabide duce Lacedemonij ferocius ſpirantes, Romanorum quoque attoniti arma horruere. Punici quoque belli ignes iam ſopiti, Amilcare Pœno duce, qui remanens Inſubrum Boiorum Cænomannorum virib9 ferociebat, in nouas atq; periculoſiſſimas flammas exarſere, quæ à Fuluio prætore non ſine maximo negocio reſtinctæ ſunt. Sempronius Tuditanus cũ omni exercitu Romano in Hiſpania oppreſſus interijt. Grauiſſimum quoque vulnus à Gallica gente alterius conſulis exercitu amiſſo acceptum eſt. Et ecce tot annorum prælijs atq; cladibus confectos nouus Syriaci belli adparatus, nouo terrore rurſus exercuit. Nihil Antiocho totius Aſiæ imperium, Nihil armorum virorumque copia, Nihil Hannibalis conſilia, Nihil potentiæ fiducia, Nihil trecentorum millium peditum, equitum falcatorumque curruum non minor numerũs, Nihil terribiles beluarum barritus, profuere. Hæc rurſus victoria varijs cladibus expiata eſt. Siquidem eodem tempore, quinque millia contra Gallos amiſſa ſunt, P. Digitius prætor in Hiſpania totius exercitus infame naufragium fecit. L. Æmilius proconſul cum vniuerſo exercitu à Luſitanis cæſus interijt. Eadem fortuna L. Bebium in Hiſpanias proficiſcentem rariſſimo exemplo vt ne cladis nuncius ſuperfuerit perſequitur, Miſſus in Bebij exercitusq; vltionem Marius conſul non multo mitiore fortuna exercitus reliquias meliori occaſioni reſeruauerit. Hic rurſus quô ſe Roma erexit, Q. Fuluio Flacco prætore in citeriore Hiſpania viginti tria hominũ millia maximo bello interfecta.

Sempronij Gracchi ductu vlterioris Hispaniæ centum quinquaginta oppida tormentorum machinis quassata ad deditionem coacta sunt. Exurgit & Philippi Macedonici regis filius Perseus antiquæ nobilitatis recordatione, præsentis fortunæ contemplatione incitatus. Totius Orientis vires Thracum, Illyriorumque barbaries in belli societatem adsciscitur, erat deinde illi præter Macedonicum inuictæ opinionis exercitum, decennalis belli sumptus olim iam à patre in thesauris horreisque paratus. Huic adparatui neque ducis prudentia deerat, quippe qui regionis situm à summo Hemo speculatus, positis per abrupta castris, ita Macedoniam suam armis ferroque vallauerat, vt non reliquisse aditum nisi à cœlo venturis hostibus videretur. Omnes has belli gerendi difficultates Romana vicit potentia. Deuictum regem in cathenis triumphi spectaculo populi oculis subiecit. Tertium quoque cum Macedonibus simulque cum Pœnis eodem tempore gestum est bellum, quod non tantum non exhausit, sed & remp. Romanam locupletauit, Auita enim illa Macedonum virtus, quæ per omnes terrarum mariumque oras victoriæ throphæa fixerat, regem suum Philippum cathenatum in vrbem trahi pati cogitur. Carthaginiensium furor quo in nouæ classis vsum tecta domorum rescindebantur, pro armis aurum argentumq; conflabantur, pro tormentorum vinculis matronarum capilli radebantur, quid aliud quam præsens malum in diem distulit? Tanto tutius erat cum Romanis precibus quàm armis contendere. Præter bella hæc difficultate periculoq; plena, alijs quoq; curis eadem tempestate Roma distringitur. Atroci accepti erant eorum legati ab Corinthijs oratione. Res quæ bello vindicaretur digna est visa. O potentiam. Cum tantarum nationum odia ipsam vrbem circumstreperent, dubijsq; bellorum euentibus versaretur, eam potentiæ opinionem nihilominus resedisse, vt leuiculas iniurias tanto adparatu persequendas existimarit: & cum omniũ gentium regionum regumq; fauor eblandiendus

videbatur, alios inſuper hoſtes atrociſſimis adieciſſe. Duobus prælijs grauiſſima clade Achaiæ vires corruere. Vrbs toto tunc orbe omnium florentiſſima opulentiſſimaq; incenſa diruitur. Sic per duas diuerſasq; mundi plagas victricia arma eodem tẽpore circumtulere. Interim rurſus in Hiſpania quantis viribusne dicam an cladibus certatum eſt? Viriatus quidam genere Luſitanus paſtoralis latro, per annos quatuordecim citraq; vltraq; Iberum Tagumque igni ferroq; populatus, caſtra etiam Prætorum ac præſidum adgreſſus ingentem nominis ſui terrorem latè diffuderat. C. Vetiliũ prætorem penè omni exercitu cæſo, fugat, vincit, ſubigit. C. Plautium multis prælijs fractum in fugam conijcit, Claudius quoq; Vnimanus dum ſuperiorum prætorum ignominiam virtute abolere conatur, infamiam veterem noua fuga exaggerat, latioresq; trahit Romani imperij ruinas. Quid dicam cum Numantinis per annos quatuordecim terribiliſſima circa eadem tempora bella gèſta? Pompeius fœdus tandem cum viris inire cogitur. Hoſtilius quoq; Mancinus aſſiduis cædibus ita exagitatur vt ſuprema deſperatione exercitu adfecto, turpiſſimũ fœdus facere cogeretur. At quantis rurſus viribus Romani imperij lacerti ſe iterum mouent? Brutus in Hiſpania interiore ſexaginta Galleciorum millia, qui auxilio Luſitanis veniebant, aſperrima periculoſiſſimaq; pugna oppreſſit, Numantia quæ non ſolum quadraginta Romanorum millia per annos quatuordecim ſuſtinuerat, ſed etiam vicerat, pudendis fœderibus adfecerat, Scipione duce virium Romanarũ impetu opprimitur, vt hactenus non vires ſed imperatorum fœlicitas deſiderata eſſe videretur.

De ſeditionibus Rom. belliſq; à Numantiæ excidio ad Cæſ. Auguſti tempora.

ADuerſus omnes has in eadem fere tempora incidentes belli calamitates ſtabile infractumq; Romanum imperium perſtitit. Quid ſupereſt niſi vt videamus quæ potentiæ argumenta dum diſcordijs ciuilibusque bellis furiali quadam regnandi

cupiditate excitatum, misere per interiora viscera discinderetur, exhibuerit. Tiberius Gracchus primam dissensionis facem incendit, Dum tribunus plebis populi studium fauoremque agrarijs frumentarijsque legibus eblandiri nititur, Quæ non sine ingenti ruina incendijsque fuit extincta. Huius flammæ euanescentis scintillas C. Gracchus, non tam iuris æquitatisque quam fraternæ necis vindictæ studio iterum excitauit, Intra ipsa vrbis mœnia, (miserabilis heu rerum facies) ciuium inter se agmina concurrunt, C. Graccho, Fuluio Flacco dissensionum autoribus, Decio Bruto consulari viro atque Opimio senatoriæ maiestatis conseruandæ datur prouincia, quæ non mediocribus malis vrbem adflixit. Tria millia ciuium questione habita prçter eos quos subito turbatio absorpserat, sunt interfecta. Quanquam domi is rerum status esset vt vrbis custodiam requirere videretur, nihilominus Baleares insulas Metellus peruagatus tunc edomuit. G. Domitius Allobrogum viginti millia trucidat, Cum Bituito Aruernorum rege Fabius consul ita conflixit, vt perpetuam ea strages genti infamiam conciliarit. Centum enim quinquaginta millia vel cæsa vel submersa fuerê. Cum vaferrimo Iugurtha Numidiæ rege varijs dimicatum est euentibus. Aulus Posthumus quadraginta armatorum millibus præfectus, opprimitur. Marius bellicæ disciplinæ peritissimus non virtute sed imbre telorum amenta laxante victoriam licet cruentissimam reportat. L. Cassius consul insidijs à Gallis circumuentus cum L. Pisone legato interfectus est. His imperij vulneribus non pacis tranquillitas respiratioque, sed horribilior rerum facies meditatur. Tumultuosissimum enim cum Cymbris, Teutonibus, Tigurinis, Ambronibusque, qui simul in Rom. nominis internecionem conspirauerant, bellum emersit, Præter ferociam multitudinemq; hostium etiam infœlicissima Cepionis Manilijque cum ijsdem pugna, validissimè Romanorum quassauit latera. Octoginta enim

enim Romanorum ſociorumque millia, quadraginta calonum trucidata ſunt, decem tantum fuga elabentibus, quorum oratione nuncioque miſeria augeretur, Sed non aliter quàm ſi pede pulſata Italia innumera edidiſſet millia (quod Pompeius iactaſſe dicitur) ſubito cladis rumore nunciato ingentes proſilierunt copiæ. Occurrit Marius iactantiæque auias qua imbuti Romanis artibus exitium ferentes progrediebantur, indignatibus de pulmone reuellit. Quem hic terrorem adceſſit, ſubijt, diſiecit, fugauit, deleuit? Qui dijs ipſis naturæque bellum indicere videbantur, humanis viribus ſuperari poſſe edocuit, Tigurinorum Ambronumque ducenta millia interfecit, quadraginta millia cœpit. Confectum deinde duobus prælijs bellum trecenta quadraginta millia abſorpſit, centum quadraginta millia ad hoſtium ludibrium viva reſeruauit. Nondum requies reſpiratioque à bellis data eſt: ſed grauior (propemodum dixerim) vnda, domeſtica diſſenſione imperij dignitatem tentat euertere, miſerabiliq; prorſus turbatione ipſum Reip. corpus in ſua viſcera enſes ſtringit ſceleratos, Adſertor Gracchanæ legis L. Apuleius Saturninus infamium auſorum dux atq; autor in foro cum Mario conſule armatis aciebus concurrit. Aquilæ pares, ſigna paria, teterrimo exemplo per vrbem volitabant. Quid Seruile ab Herdonio bellum tentatum, tribunitijs diſſenſionibus obſeſſum capitolium memorem? Quid prætorum in Sicilia, Manilij, Lentuli, Piſonis, Hipſei, per ſeruorum inſolentiam caſtra direpta? Quid Druſi furores dicam, qui totius Italiæ arma in matris parentisque ſuæ excidium immaniſſimo ſcelere impulit? Interim & C. Seruius prætor cum exercitu apud Aſculum cæſus interijt, omnes Romani ciues indicta cauſſa Lymphatico quodam furore ciente in vrbe Aſculo ſunt trucidati. C. Pompeium Picentes bello vicerê. Sextum Cæſarem, cæſo exercitu vix fuga ſeruauit. Rutilium conſulem incautius exercitum habentem, cum ſplendidiſſimo totius pro-

pemodum nobilitatis ordine; exercituq; vniuerſo Marſorum inſidiæ peſſimi dedere. Cepionem quoque eadem temeritas, idem hoſtium conſilium, ea fortuna perſecuta eſt. Quantum rurſus tot malis acceptis, tanquam ex largiſſimo ſinu ſubito copiarum, principumq; virorum Roma effudit? cum non tantum gentes, nationes, regna prauis conſilijs ab ea deſciuiſſent: ſed & miſera diſſenſione lancinaretur, aaq; vix ſopiti ciuilis incendij ardor horrendum etiamnum fumaret: Malis enim clarius illuceſcens, vera tum tandem admiratione memoriaq; digna dedit documenta. Adgreſſi ſingulos, Marius ſex millia Marſorum cædit, ſeptem exarmat, Sylla Eſerniam, Romanaq; præſidia viginti quatuor cohortib⁹ obſidione liberat. C. Pompeius Aſculi expugnatione Picentes grauiſſimo prælio fundit, octodecim millium ſanguine conſularium exercituum manibus, euerſarumq; vrbium dijs tutoribus litat: Porcius Cato Hetruſcorum Vmbrorumq; gentes adgreſſus deuincit. Piget gladiatorum furoris interim meminiſſe. Plus centum millibus fugitiuorum hic inhorruit. Clodij prætoris caſtra eruptione expugnantur, horrenda committitur cædes, ipſe in fugam agitur, Conſules ambo victis poſt copijs grauiſſima accepta clade aufugiunt, Idem furor C. Caſſium proconſulari dignitate eminentem oppreſſit. Nondum quoq; Iugurthini belli tempeſtas detonuerat. Iam Marianum atq; Cinnanum Roma parturiebat incendium. Sillanę cladis rogus accenſus ardebat. Lepidus Italiam in arma concitat. Brutus Galliam, Perpenna Liguriam, Sertorius Hiſpaniam, ſinguli tanta formidine vt territare labefactare imo euertere ſtabilem imperij ſtatum poſſe viderentur. Horum tamen omnium impreſſiones eo tulit animo, vt & infeſtiſſima illa quatuor bella externa, Macedonicum, Dalmaticum, Mithridaticum, Macedonicum ſuſcipere non detrectaret. His non tantum reſtitiſſe, ſed ſumma cũ gloria ex voto confeciſſe quis dignis laudibus ſatis poterit prędicare.

De

De eodem populo Rom.

DIfficilius aliquanto fuit Romæ ſeipſam quam hoſtem vincere: adeo crebris diſſenſionibuſne, an bellis inteſtinis dicam, pro cuiuſque potentis libidine miſere exhauriebatur. Cædibus, proſcriptionibus, eam miſere vexarant Marius, Cinna, Sylla, Lepidus, Spartacus. Gladiatorum furor, Socialis, ſeruiliſque belli execranda nomina per diſtracta iam diſtracta iá reipublicę viſcera atrociter bacchabantur, quæ res propenſum iam in ſcelera Catilinæ animum, ad patriam opprimendi, ſenatum confodiendi, conſules trucidandi, cædibus incendijſq; vrbem funeſtandi conſilium deſcendere incitarat. Inferenti in vrbem ſigna Antonius occurrit. Atrociſſime pugnatur, vtrinq; virtutis clariſſima eduntur exempla, cum Antonij militum fortiſſimi atque audaciſſimi quiq; aut vulnerati aut trucidati fuerint: hoſtium nemo ſuperfuerit, ſed quem viuus tenuerat locum, eundem anima effuſa, corpore tegeret. Nulla ijs bellis feſſis datur requies. Pompeius enim Syriam phœnicemque populationibus peruagatus ipſoſq; Arabas edomuit. Hinc reflexo itinere Iudaicæ gentis caput Hieroſolyma euertit, ſolo exæquat. Non ſimplex huius Oriẽtalis belli erat iniuria. Siquidem duos & viginti reges adtingebat. Vnicũ hoc inexhauſtæ bellis omniũ gentium inteſtiniſq; diſcordijs quantam addidit Romæ gloriam? cui plus claritatis ſtatim Gallicum bellũ à Cæſare ſuſceptũ addidit. Hic 7. legionibus numeroſiſſimam immaniſſimáq; adgreditur gentem, decimo demũ anno pernicioſiſſima libertatis ardentẽ cupiditate, veteriſq; belli gloria ſuperbientẽ ita exanguem, effœtã reddidit, vt nemo aut nouis reb⁹ ſtudere auderet, aut ſi audeat maximè, non metuend⁹ admodũ videretur. Heluetios incenſis vrbib⁹, pagis priuatiſq; ædificijs, ne quẽ redeundi aut ſpes aut cupiditas ſollicitaret, domum non aliter quàm greges ad paſtorum ſtabula redire coegit. Quantas Arioviſti copias inſatiabiliter per 50. millia inſequendo diſſipauit.

Tenctha-

Tencthaterorum Vſipetumque qui Gallias ſibi ſubijcere parabant, quadringenta ſexaginta millia fortiter diſiecit. Belgarum qui inter cæteros virtute eminebant ducenta ſeptuaginta lectiſſimorũ militum millia temporis momento fundit, fugat, ſternit, cædit, diſſipat. Auaricum quadraginta millium præſidio fultum ſuſtulit. Quæ vis, quæ potentia Alexiam non niſi deſuper venturis hoſtibus patere viſam, & quod admirandam magis reddit expugnationem, ducentorum quinquaginta milliũ iuuentute ſubnixam, flammis incendijsque ſolo æquauit. Gergouia quoque operis, naturæ, octoginta inſuper lectiſſimorum militum firmitudine inexaccesſa Romanorum potentiæ, cæſarisque virtuti gloriam concilient, Atque hæc quidem omnia cum vndecim legionum ſtrage. Craſſi auaritia grauiſſimum à Parthis eſſet vulnus Romanis inflictum. Vnum hoc deerat, vt ſceleratiſſimo bello clariſſimi imperatores, Cæſar Gallorum ſpolijs, Pompeius orientis triumphis onuſtus, non ferente ſe nimia triumphantis vrbis fœlicitate, illuſtriore exemplo Romanorum vires patefacerent, dum hinc vndecim legiones, illinc duodeuiginti in armis ſtarent, atque in mutuum exitium pluſquam bacchico furore, ruerent. Quarto tandem anno ea tempeſtas detonuit. Hic cum effœta plane bellis exhauſta videri poſſet, ad magnificentiſſimam potentiſſimamque Monarchiæ gloriam adſcendit, & quæ Aſſyriorum, Perſarum Macedonumque regna labefactata tranſtulerê, ea Romá ad ſummum in terris imperij nomen euexerê vt veriſſimè ſit dictum, Romanæ vrbis magnitudinem calamitatibus atque miſerijs comprobari.

De Auguſto Cæſare.

EX tantis bellorum Labyrinthis quæ nullius certæ perſonæ fortunis auſpicijsque, ſed inuicem in imperio ſuccedentiũ Imperatorum ducta geſta ſunt, quæque à conſueto ſcribendi genere quo cuique quod præclare geſſerat tribuere ſolemus

nos

nos auocarunt, gaudeo me tandem euolutum. Atque vtinam quemadmodum fœliciore nunc reſpublica ſtatu haberi cœpta eſt, ſic etiam feliciori nunc ſtilo mihi oratio defluere incipiat. Mouit enim (ſi vnquam aliàs) robuſtiſſimos potentiæ ſuæ neruos reſpub. Rom. ſub Auguſto, qui poſtquam ſapientia atq; ſolertia incredibili perculſum vndiq; diſſenſionibusque miſere laniatum ordinaſſet Imperij corpus, Pompei domum paterna repetentem trecentarum quinquaginta navium claſſe maria infeſtantem grauemque vrbi Romanæ famem adferre conantem, mirabili ne dicam an miſerabili fuga ſuperavit. Antonium quoque dignitatis ſuæ æmulum pacis nodum moramq; Mutinenſi obſidione caſtris exuit, ac memoratiſſimo illo quod Cleopatræ totiusque orientis opibus gerebatur bello, ducentis nauibus, turribus tabulatisque caſtellorum vrbiumque ſpecie eductis tumentem, quæ non ſine maris gemitu laboreq; ventorum ferebantur, pulcherrima victoria ad extrema coegit. Fruſtra enim Arabum Sabeorumque agmina Romani Imperij vires perfringere conata ſunt, ſub cuius vexillis tunc quadraginta quatuor legiones ſtipendia faciebant. Sed hic tituli huius meta defigatur, vt quemadmodum ab hoc robuſta illa Roman. Imperij virilitas, ad effœtam quandam ac ſenilem ætatem Imperatorum ſuccedentium inertia defluxit, ita nos quoque ſcribendi officio atque labore defungamur.

DE SVMPTVOSIS BELLO VICTORVM TRIVMPHIS.

GAVDEO tandem ex hoc bellicæ calamitatis naufragio lacera propemodum puppe in pacis tranquillitatisque portum me emerſiſſe, atque ex horridis illis armarum aciebus, ex intentatis haſtarum gladiorumque cuſpidibus, ex virorum diuerſo adfectu clamores miſcentium

ſtrepitu, in amœnum pace editorum operum hortum, licet ſero perueniſſe, vt recentis ſtragis memoria atque metus, ſi non prorſus extirpari poſſit, præſentis voluptatis illecebra aliqua ex parte ſaltem mitigetur. Quibus autem lege id virtutis ornamentum tribui ſit ſolitum, hic commemorare ſuperuacaneæ cuiuſdam fuerit diligentiæ, cum aliunde facile cognoſci poſſit, atque ad id quod nos inſtituimus omnino nihil faciat. Neq; obſcuros nullisque ſcriptorum literis celebratos, Liberi patris de Indis deuictis triumphos. Neque Tatios Sabinorum reges, neque Tarquinium priſcum aureo tantum (quod ad nos literis tantú allatum eſt) paludamento triumphantem, neque eius cui Publicolæ populare cognomen, ædes è ſumma Velia in vicum minime ſuſpectæ celſitudinis tranſlatæ addiderunt, ex Vehijs Tarquinienſibusque virtute meritos triumphos, ocioſus quis hic fruſtra requiret, cum & veteris æui ſcriptores nulla eos memoria dignos iudicarint, & nobis tantum ea ſectari in animo ſit, quæ ſingularis alicuius magnificentiæ nomine priſcis ſint commendata.

De Furio Camillo patriæ Liberatore.

CElebratur inprimis magnificus ex Veijs deuictis, Camillo dicatus triumphus, qui cum decem continuos annos maiori propemodum obſidentium quam obſeſſorum clade Veiorú territaſſet vrbem, atq; cuniculis clandeſtinisq; irruptionibus, artibus Romano nomine indignis eandem tandem cœpiſſet, eiuſmodi virtutis ornamentum eſt conſecutus. Huius rei gloriam Titus Liuius his verbis celebrat. Aduentús Dictatoris omnibus ordinibus obuiam effuſis, celebratior, quàm vllus vnquam antea fuit. Triumphus omnem conſuetum honorandi diei illius modum aliquantum exceſſit: maxime conſpectus ipſe. Curru equis albis iuncto, vrbem inuectus eſt, parumque id non ciuile modo, ſed humanum etiam viſum, Iouis Soliſque equis æquiparatum Dictatorem etiam in religionem trahebant,

bant. Triumphusque eam ob vnam maximè rem clarior quàm gratior fuit. Nullæ prædæ populo diſtributæ magnificétia clarꝰ extitit, quoniam quæ in populum ſpargi ſolebant, vniuerſus populus Romanus ad Veios captos euocatus ante auexerat. Quod ſi hęc triumpho tuo reſeruaſſes, nullo poſt inferior reputatus, inter clariſſima iam numerareris exempla. Quanquam quid intereſt, ante ne an in triumpho tanta opum profuſio inundarit.

De Q. Fabio

Q. Fabij triumphus illuſtribus exemplis inſpergatur, hoc nnmine, quod ex preda militibus æris octogenos binos ſagaque & tunicas, ſplendidiſſima militiæ exactæ premia ſingulis contulerit.

De Papirio Curſore Conſ. Romano.

QVA verborum veneratione & tę in hac ſplendidiſſimorú virorum claſſe attingam, qui ærarium vicies centum mil libus æris grauis, auri triginta millibus locupletaſti?

De Liuio Salinatore, & Claudio Nerone Coſſ.

CLaudius quoque Nero Liuiusquę Salinator ſumma celeritate Aſdrubale Annibalis fratre victo, cæſoque qui nouo adducto exercitu, noua belli mole fratris iam totius Italiæ victoris vires roboraturus aduentabat, ſeſtercium millies octoſiinta millia æris inærarium adductis, ſplendidiſſimum virrutis ſuæ meruerunt triumphum.

De Scipione Superiore.

O Te fœlicem (ſi tamen tibi aliqua fœlicitas contingere potuit) cuius rerum geſtarum famam poſteritatis memoria etiam nunc adpræhendit, qui pace terra marique parta cum Carthaginienſibus continuis bellorum cladibus iam fractis, triumpho omnium ante ea tempora clariſſimo in vrbem lætitia diffluentem inuectus dignam virtute hac tua inueniſti venerationem. Huius pompam quanquam exactiſſime Appiano diligentiſſimo ſcriptori conſcripta eſt, & quanq̄ non parum ad

reliquorum ſplendorem illuſtrandum conducere videretur, ad nominis tui gloriam huc transferemus. Eius verba ſunt hæc. Scipio poſt hæc ex Lybia in Italiam profectus, vniuerſas copias claſſe traduxit, Romamque ad triumphum reuerſus eſt, quem omnium ante ſe ſplendidiſſimum dicitur egiſſe. Eius forma vt nunc fit ab eo ſeruata eſt. Fuit autem huiuſcemodi. Sertis redimiti omnes præcinentibus tubis, currus ſpolijs refertos, deducebant. Ferebantur & ligneæ currus, captarum vrbium ſimulachra, aurum deinceps & argentum, partim rudibus maſſis, partim ſignatum. Coronæ præterea quas virtutis gratia vrbes dediſſent. Candidi ſubinde boues & elephanti illos ſequebantur. Poſt hos Carthaginienſium ac Numidarum principes bello capti. Imperatorē lictores præibant, purpureis amicti veſtibus, tum citharædorum ac tibiarum turba, ad Hetruſcæ ſimilitudinem pompæ. Hi ſuccincti, coroniſque aureis redimitis, ſuo quiſque ordine canentes pſallenteſque procedebant, hos Lydios adpellant, vt facile crediderim Hetruſcos Lydijs ſumpſiſſe originem. Horum in medio quiſpiam talari veſte fimbrijs ac armillis auro ſplendentibus amictus, geſtus varios edebat, hoſtibuſque deuictis inſultans riſus vndique ciebat. Poſt Thuris & odorum copia Imperatorem circumſteterant, quem Cvrrv Deavrato multifariamque refulgenti candidi vehebant equi, auream capite geſtantem coronam, lapillis ornatam gemmiſque. Is veſtem ſuccinctus purpuream patrio more aureis intextam ſyderibus, altera manu eburneum ſceptrum, altera laurum præferebat, quæ Romani victoriæ ſigna profitentur. Currum exercitus in turmas acieſque diuiſus ſequebatur. Milites redimiti Lauro, Laurum manibus præferentes, quibus meritorum inſignia adiuncta. Aderant & qui hos laudibus vehebant, hos mordacibus ſalibus adſpergebant, non nullos infamia notabant. His pompæ ſplendoribus Imperator capitolio adſcenſu ſuperato, amicis epulas,
nitidiſſi-

nitidissima elegantia præbuit. Præter has laxissimas profusionis habenas, præter quadragenos æris quos militibus diuiserat, ærarium pondo centum millibus xxiij. locupletauit.

De M. Porcio Catone.

M. Porcius Cato summum frugalitatis exemplum, eodem cibo, eodemque vino quo remiges vsus, de Celtiberis Hispaniæ robore, partam victoriæ referens, magnificus circa triumphorum splendorem (in cæteris parcus) extitit, quem argenti viginti quinque millia pondo, auri mille quadringenta in vrbis ærarium translatis (præter ducenos septuaginta æris, quibus militum virtutem collaudabat) perpetuæ hominum memoriæ consecrarunt.

De L. Quintio Cincinnato.

NOnne & qui ab aratro dictaturæ insignia adceperat Quintius Cincinnatus, relictis sordidis ruris officijs splendidissimo triumpho insignis enituit? qui Minutio consule qui á Volscis Sabinisque Celio Graccho duce in Algido monte obsidebatur, liberato, hostibusque cæsis, ducem in deditionem acceptum ante currum egit triumphalem.

De Quinto Flaminio.

RVtilantes æternitatis radios Quintij Flaminij gloria à se emittit. Hic Philippum Macedoniæ regem, auita paternaq; gloria elatum, supplicum Rhodiorum Permatorumque vocibus Romæ regis iniurias querentinm à senatu commoto missus, Macedonesque veteri virtutis fama etiamnum ferocientes, recentibus successibus, virtutisque experimentis virenti militum flore adgressus, breui Nabide Lacedæmoniorum duce, quem ad belli aleam sollicitauerant deuicto, ad pacis conditiones adegit. Triumpho igitur tanti viri virtus honorata

est,qui non infima veteris opulentiæ documenta exhibuit. Infecti argenti vt habet Liuius fuit octodecim millia pondo & ducenta septuaginta, facti vasa multa omnis generis,cælata plæraq;,quædam eximiæ artis, ad hoc clipei argenti decem, sinati argenti octuaginta quatuor millia fuere Atticorum. Auri pondo fuerunt tria millia septingenta decem quatuor, & Clypeus totus aureus, Philippei aurei quatuordecim millia quingenti quatuordecim. Quin & coronæ aureæ dona ciuitatum centum & quatuordecim fuere, & hæc quidem omnia, præter largissima munificentiæ exempla, quæ totius exercitus virtutem ornauerat fuisse,quis non munifici exempli loco habendū censebit?

De P. Scipione Nasica.

SCipio ille cuius virtutis indicia in toga maxime adparuerunt,quique tantum in ea quantum vterq; Africanus in armis meruit,se ab huius rei gloria abesse nequaquam passus, victoriam de Boijs validissima gente reportās splendidissimo triumpho in vrbem euectus est, quo præter summam aureorum torquium multitudinem, præter centenos vicenos quinos asses,quos militum virtuti elargiebatur, æris mille quater centum septuaginta,auri ducenta quadraginta sex, argenti infecti trecenta sexaginta pondo in ærarium retulit.

De M. Fuluio Nobiliore.

ANtiocho Syriæ rege deuicto, Asiatici belli persequendi cura M.Fuluio delegata est,qui Æetholorum gentis capite Ambracia vrbe machinis quassata placidas pacis leges non de ea tantum sed & Cephalenia & Zacyntho omnibusque insulis eius maris inter Ceraunios montes iugumq; Maleum ad quas Æetholici belli contagio serpserat,victoriam reportauit. Triumpho

umpho igitur victor in vrbem inuectus, qui aureis coronis duabus centum decem pondo, argenti pondo octuaginta tribus, auri pondo ducentis & vltra, tetracinarum atticarum centum octodecim, Philippeorum nummorum decem millibus, quadringentis triginta tribus, profusione in milites quinorum vicenorum denariorum, est decantatissimus.

De G. Manlio Volscone.

MAgnificentissimorum huic virorum numero & Manlius Volsco adscribi meretur. Hic prouinciam Scipionis Asiatici ordinandi prouincia adsumpta Gallogræcos qui in Asia sub Antiocho meruerant, mixtis his qui olim Brenno duce in Asia firmas sedes collocarant, cum deuicisset, triumphi insignem honorem meruit. In hoc autem laudis opulentiæque genere commemoranda Asiaticæ luxuriæ opera in vrbem inuecta, aureæ coronæ ducentæ duodecim, Argenti ducenta viginti millia, Tetracinum Atticarum ducenta millia, Philippeorum nummorum millia sexdecim. Militibus insuper quadrigeni bini denarij diuisi sunt, duplex Centurionibus, peditibusque stipendium elargitum est, triplex in equites.

De Paulo Æmilio.

AGE & Macedonici triumphi amplitudinis quid vetat meminisse, qui omnes quondam terras mariaq; magnificentiæ fama impleuit? vt hactenus opulentiæ quædam tantum semina iacta, nunc in vberrimam diuitiarum messem erupisse videantur. Cum reliquæ gentes Syriaci belli periculo altissimum tenerent silentium Macedones auitæ virtutis recordatio in bellum stimulat. Itaque recollectis viribus, Thracibus Illirijsque ad belli communionem allectis. Perseus Philippi filius ita Macedoniam armis ferroque muniuerat vt non reliquisse aditum, nisi à cœlo venturis hostibus videre-

videretur,quod & ſiniſtra Craſſi conſulis fortuna exerçitusque Romani cædes indicium fecit, Paulus deinde Æmilius cuius virtus illi Macedonici nomen indidit, conſul creatus eſt, qui diligentius exploratis adceſſibus,per Aſtrudem, per arduos inacceſſosque tumulos quos volucribus etiam inuios rex putarat,ſubito aduent⁹ ſui terrore ita terruit, vt ne periret,omnem pecuniam in mare mergi iuſſerit,alijsque ducibus belli ſumma commiſſa,ipſe in Samothracem Dei Aſylo ſe abdens, trepidus confugerit. Huius exercitu cæſo, eoque è fuga ab Octauio (quem ad perſequendum conſul miſerat) retracto, redeunti conſuli pulcherrimum diuinaq; magnificentia ſplendeſcens, triumphi decus exhibitum eſt, qui ſpectaculo totum triduum impleuit. Prima enim dies vix ſtatuis,ſignis, & tabulis tranſuehendis ſuffecit, Sequens pulcherrima ornatiſſimaque Macedonum arma, Romanorum oculis exhibuit,galeas, ſcuta,thoraces, ocreas & Cretenſes peltas, triaque virorum millia numiſmata argentea vaſis trecentis quinquaginta ferentia. Vas quodlibet trium talentorum, quatuor virorum humeris portabatur. Adde his ingentem numerum calices,crateras,phialasque argenteas certo ordine ferentium. Quin & aureas coronas ad quadringentas quas ob virtutem à Græciæ ciuitatib⁹ adceperat Romani obſtupuere, Quid moror? Tantis opibus reipublicæ vires confirmatæ ſunt, vt exinde ad Cæſaris tempora. plus minus centum annos tributum Romanus pendere deſierit.

De Lucullo Romano.

LVculli quoq; maxima rerum geſtarum gloria florentis virtus,ſimili virtutis premio inſignita eſt, Sed quoniam inuidioſa calumnia tacitis obtrectationum ſtimulis illius gloriam pupugit,factum eſt, vt non pompæ longitudine rerumque ſpectandarum multitudine admirandum duxerit triumphum. Exhibuit nihilominus falcatos currus decem, nauium roſtratarum

tarum decem ſupra centum numerum. Ipſius quoque Mithridatis aureum ſimulachrum pedum ſex longitudine, clypeumq́ue precioſiſſimis imo non æſtimandi precij margaritis exornatum. Quin & argentea vaſa xx. aureorum poculorum, armorum, nummorumque duo ſupra triginta numerum populi oculis dedit. Octo quoque mulos lecticis aureis defecatoque argento ſex & quinquaginta. Alteros prætera centum & ſeptem paulo minus quam decem ducentis ſeptuaginta millibus nummorum onuſtos.

De C. Pompeio magno.

POmpeius toties renaſcentibus Mithridatici belli in Lerneæ beluæ ſimilitudinem capitibus amputatis, ipſoq́ue deuicto Mithridate, qui ad quadraginta annos Romanam virtutem exercuerat, triumphum etiam dijs ipſis inuidioſum duxit, certiſſimum veteris opulentiæ argumentum. Mithridatis filijq́ue Pharnacis ſtatuas argenteas exhibuit, eiuſdemque metalli currus, tabulas luſorias è gemmis duabus, tres pedes latis, longis quatuor. Lunam aureã, triginta triclinares lectos argenteos, aureos tres. Et ô veſanę mentis humanę luxuriã, montem aureum quadratum, qui Varijs ferarum fruticum arborumque generibus oppletus conſpiciebatur. Hic muſarum effigies, gemmarum corporibus inciſas, triumphantisq; Pompei imaginem, ex margaritis contextam repræſentabat. Ærarium auro argentoq́ue ſignato ad viginti talentorum millia, præter ea quæ militum virtus acceperat, quorum nemo minus mille quingentos æreos tulit, locupletauit, tributumq́ue Romanæ vrbis in maius auxit, Quippe quid ex quinquagies decies centenis talentorum millibus, ad octuagies & quinquagies decies centena millia excreuerit.

De Diuo Iulio Cæſare.

QVis te C. Cæsar intactum indictumque in hoc laudis genere transmittat? qui Gallos sæpius auitæ gloriæ memoria, libertatisque amore stimulantibus, arma resumentes, decem annorum spacio cum edomuisses, excellentissimum magnificentissimumque duxisti virtutis tuæ indicem triumphum. Neque hos tantum triumphasti, sed & de Pompeio potentiæ tuæ æmulo in campis pharsalicis deuicto aut vt quidam volunt de Ptolomeo Ægypti rege egisti triumphum, Huic successit Africanus, quem à bello cum Pompeianis reliquijs gesto, cui Petreius Scipioq; amplissimi homines præerant, accedentibus & Iubæ Mauritaniæ regis viribus rettulisti. Quid de Pontico dicam triumpho, qui inter pompæ fercula triumphorum verborum rettulit titulum Veni, Vidi, Vici? Iam tanto verborum compendio virtutis apud Mundam exhibitæ meminisse, propemodum mihi fuerit religio, nisi hæc celebranda alij loco reseruaremus. Hic mihi triumphi dicuntur, Neque historiæ ordinem texo, sed opulentiæ alicuius exempla in huius operis nostro mellificiú referre laboro. Hos quinq; diuerso adparatu instrumentoque egit, Veteranarum legionum prædæ nomine in pedites singulos super bina sestercia distribuit, In equites vicena quaterna millia nummum dedit, Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoq; nummos quos pollicitus olim erat viritim distribuit. Adiecit & epulum ad visceratione m & duo prandia, cum enim prius parcius quam pro liberalitate imperatoria præbitum iudicaret, quinto die sordium suspicionem eluere volens, aliud multo sumptuosius præbuit, O diuitias, O animum tantis diuitijs dignum.

De F. Vespas. & Tito Vespasiano Flauij filio.

LIcet ad finem anhelantem, opulentissimi nihilominus Iudaicæ victoriæ á F. Vespasiano, filioq; eius Tito partæ splendor me retinet.. Miranda enim sunt, quæ F. Iosephus natione

Iudæ-

Iudæus, qui diligentiſſime Iudaicarum rerum perſecutus eſt hiſtoriam de hoc triumpho commemorat. Pro merito (inquit) narrari multitudo ſpectaculorum magnificentiaque non poteſt, in omnibus quæ quiſque aut artium egregijs factis, aut diuitiarum oſtentatione, vel naturæ nouitate excogitauit. Nam pænè quæcunque hominibus qui vnquam fortunati paulatim quæſita ſunt, alijs alia mirabilia atque magnifica, hæc vniuerſa illa die Romani imperij magnitudinem probauerunt. Etenim argenti aurique, eboris & in omni genere ſpecierum ſiue opum multitudinem: non vt in pompam ferri cerneres, ſed ſi quis dixerit omnia fluere, & aliàs quidem veſtes ex rariſſimi generis purpura portari, alias arte variatas Babylonica. Gemmæ autem clariſſimæ & tam multæ, aliæ coronis aureis, aliæ ſpeciebus, aliæ formatæ, incluſæ, traductæ ſunt, vt adpareat, fruſtra nos earum vſquam rerum eſſe aliquid ſuſpicari. Ferebantur autem ſimulachrorum ſingula, quæ illi Deos habebant, & magnitudine mirabili, & arte non defunctorie facta, horumq; nihil non præcioſa materia. Vanitatis ſuſpicionem vix effugero, ſi quæ opulentiæ præterea argumenta huius triumphi ſplendor habuerit memorare pergam. Etiam veteris magnificentiæ guſtum aliquem poſteris dediſſe videmur. Quare & lectores legendi opera, & nos ſcribendi moleſtia aliquádo tandem leuemus.





HIPPOLITI à COLLIBUS


INCREMENTA VRBIVM:

Sive

DE CAVSSIS MAGNITVDINIS VRBIVM,

LIBER VNVS.


Nunc primum in lucem editus.




GEORGIO ERPACI COMITI ILLVSTRISSIMO.

FECIT illuſtriſſime ac prudentiſſime COMES, humanitas tua incredibilis, quam cũ pari coniunctá grauitate exornat generis gloria, cognitio rerum maximarum, ſpectata in omni genere Virtus, & in ampliſſimis honoribus moderatio ſingularis, vt Erpaco abs te (Sereniſſimum Principem meum anno ſuperiore ſecutus) diſcedens, idem mihi euenire ſenſerim, quod ijs qui Solem aliquantisper obtuentur contingit; vt quocunq; poſtea oculos aciemque conuertant, diu eandem orbis pellucidi verſicoloribus diſtinctam ſpeciebus imaginem ſecum circumferant. Ita enim in tui admirationem raptus, officiorumque magnitudine tibi

tibi deuinctus fui, vt vix quoquam ex eo me poſtea conuerterim, vix fecerim quidquam, quin tu mihi pater, Phœbus, tecumque liberi tui tanto patre digniſſimi ſubinde occurreretis; nihilq́; magis concupierim deinceps, quam veſtro amore, quem erga me ſingularem oſtendiſtis, dignus videri. Domum itaq; reuerſus, dum inter alia & ſermonem illum tuum reputo mecũ, quem de noua tua quam ad Mœni ripam ſtatuis vrbe HEIBACO nobiſcum contuleras; eaque diligentius omnia perpendo quæ à te de ſitu vrbium, ædificiis, priuilegiis, legibus obſeruata dictaq; memineram: cœpi in cauſſas magnitudinis vrbium curatè inquirere: principio non aliam ſane ob cauſam, quã vt vbi eadẽ de re iteratò verba facere contigiſſet, ſolidius diſputarem. Verũ cum poſtea continuata lectione & non mediocri ſtudio, ea quæ ex philoſophis & hiſtoriarũ ſcriptorib⁹ excerpſeram, in iuſtũ volumen & ordinem quendã excreuiſſe animaduerterem: tunc mutato priore conſilio, & in lucem hæc edere, & tibi humaniſ. Comes, inſcribere placuit; non ſolũ vt animi grati erga te teſtimoniũ meũ extaret aliquod, ſed ẽt quia æquũ eſt, vt quo auctore nouũ quod op⁹ concinnatũ ſit, eodem auſpice prodeat. Adde ꝙ vn⁹ tu rerũ iſtarũ optim⁹ prudentiſſim⁹q́; æſtimator, qui ad ſalutem ciuiũ populorũq; incolumitatem, & vitã multorũ quietã & beatã nat⁹, eaq́; prudentia ſis, vt novam ipſe vrbem per te deſcripſeris, fundaueris, ſtatueris; qua laude maiorẽ Reges magni nullã cenſuerunt. Tuũ erit, amplecti huncce meũ conatũ, & ſi vires animo nõ reſponderint, ẽt ignoſcere. Serena aũt fronte munuſculũ hoc accipies, ſi cogitabis, nõ eamdẽ ad remunerandũ mihi, q̃ tibi ad bene de me merendũ eſſe facultatem. Vale Comes inclyte.



INDEX CAPITVM.



CAP. I.

De vrbium origine & fine.

HOMO societatis est appetens & vtilitatis; inde fit vt suapte natura se ad cœtus conferat, à quibus parata sibi videt adiumenta vitæ iucundius, commodius tutiusq; degendæ. Quis tantæ vmquam industriæ tantæq; sollertiæ repertus, qui necessaria solus sibi ipse subministrare & se ab aliorum iniuria tueri potuerit? Conueniendũ hominibus profecto vt dando, accipiendo, commutando, communicando, alter alteri quod satis est, suppeditaret, fuit. Hinc primo factum, vt plures familiæ vnum in locum conuenerint, vnàque certis legibus habitare cœperint: hinc vici, hinc pagi, hinc oppida: ex domorum n. coniunctione vici; ex vicorum continuatione, pagi; quib. cum imbecilliores à valentioribus se tueri nequirent, loca naturà munita & tecta conquirere, aut arte munire necessitas fuit; fossa, vallo, mœnibus & turribus; vnde oppida & vrbes. *Tum res communem vtilitatem continentes*, ait Cicero[a], *quas publicas appellamus; tum conuenticula hominum, quæ postea ciuitates nominatæ sunt; tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus, inuento & diuino & humano iure mœnibus sepserunt:* & Horatius:[b]

— dehinc obsistere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges. & alibi:[c]
Syluestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.

Oppidum ait Isidorus, quidam ab oppositione murorum dixerunt; alii ab opibus recondendis; eo ꝙ sit munitũ; alii, ꝙ sit in eo conuentus habitantium, & opem det mutuam contra hostes. Cæsar[d]. aũt, *Oppidum* inquit, *Britanni vocant, cũ siluas impeditas fossa, valloue munierunt, quo incursiones hostium vitandi causa conuenire consueuerunt.* Porro quamvis hæ voces, *Oppidum, Vrbs, Ciuitas*, plerumque confundantur, diuersam tamen significatio-

a. pro Sestio.
b. lib. 1. Satyr. 3.
c. De arte.
d. Comment. 5.

ficationem habuisse certum est. Oppida non erant aratro cincta, vrbibusque minora; quæ cingebantur, in nomen vrbium transibant. *Vrbs*, ab vrbo, vel vruo aratri lineâ, nomen inuenit. Cato [e] in Originibus auctor est, eos qui vrbes olim condere volebant, taurum in dextra, vaccam intrinsecus, iungere solitos, & ritu sabino cinctos, id est, togæ parte, caput velatos parte succinctos, stiuam incuruã ita tenuisse, vt glebæ omnes intrinsecus caderent, atque sic vrbo seu sulco ducto, loca murorum designasse.

e. Cato lib. 4. de Ling. Lat.

[f] *Interea Æneas vrbem designat aratro,*
Sortiturq́ domos: hoc Ilium, & hæc loca Troiæ
Esse iubet: gaudet regno Troianus Acestes,
Indicitq́ forum, & patribus dat iura vocatis.

f. Virgil. Æneid. 5.

Inter ciuitatem & vrbem, ait Nonius Marcellus, *hoc interest; vrbs, ædificia; ciuitas, incolas respicit*; nec incolas tantùm, sed leges etiam. Enimuero fieri potest vt vrbs mœnibus & ædificiis, imò etiam hominum multitudine abundet, rerumque ad victum necessariarum copiâ, nec tamen ciuitas sit, nisi legibus ac magistratuũ imperiis ciues contineantur. *Hoc* enim, ait Seneca, [g] *est vinculum quo Resp. cohæret, ille est spiritus vitalis quem ciuitas trahit: nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa subtrahatur.* *Vrbem* igitur rectè Cicero [h] definit *tectorum coniunctionem, locis manuq́ septam, delubris & spatiis communibus distinctam, in qua hominum cœtus sit iuris consensu & vtilitatis communione sociatus*. quibus posterioribus verbis & *Ciuitas* definitur, quæ est *collecta hominum liberorum iure viuentium multitudo. Roma vrbs & eam ciuitas incolit*, ait ille. Atque hæc quidem de caussis magnitudinis dicturo, præmittenda fuere; quibus hoc addo, Ciuitatem hodie vel potentiorum vi constitui, vel eorum, qui se libertatemq; suam sub alterius imperium ac arbitrium sponte subiecerunt. Iam vt ordine de re proposita disseram, primò ea perstringam, quæ ad vrbem inanimam, vt ita dicam, spectant, situm scilicet, mœnia, ædificia & similia; deinde ea persequar, quæ ad vrbem animatam, vel ciuitatem, hoc est, ad ad ciues, incolas, negocia quæ tractant & munia eorum respiciunt.

g. Lib. 1. de Clementia.

h. Lib. 1. de Republica.

CAPUT II.

De Urbium situ ex aëris salubritate.

AD beatam civium vitam, non sufficit populum optime institutum habere, nisi opportunitas urbis ea suppeditet, quæ ad usum vitæ tranquillæ sufficiant. In condendis urbibus, [a] prima ea cura esse debet, ut locus saluberrimus eligatur; altera, ut fertilissimus; tertia, ut commodissimus, & ad negotiationes & res bellicas. Consistet ergo opportunitas situs primo in aëris salubritate; nam cū is à nobis separari non possit, perpetuoq; velut connatus cohæreat, ambiatq; & lædat; vel quod calidos immodicè, vel quod frigidos, aut siccos, aut humidos nos efficiat, ejus prima quoq; cura meritò nobis gerenda. Ideo Pallas Sapientiæ Dea Musæum Græciæ conditura, locum in Attica Saluberrimum, & aëris temperie optima elegit. Spartiani [b] de colonia deducenda solliciti, consulto oraculo, responsum tulerunt; *Contra cæcos ædificarent*. Crotonienses loco saluberrimo civitatem condere à Diis iussi. Locus autem salubris cognoscitur, si excelsus & non nebulosus: non pruinosus, regionesque cœli spectet neque æstuosas, neque frigidas. *Quum enim*, ait Vitruvius, [c] *auræ matutinæ cum sole Oriente ad oppidum pervenient, & iis ortæ nebulæ adiungentur, spiritusq́, bestiarum palustrium venenatos cum nebula mixtos, in habitatorum corpora flatus spargent, efficient locum pestilentem.* Item, si secundum mare erunt mœnia, spectabuntque ad meridiem, aut ad occidentem, non erunt salubria: quia per æstatem cœlum meridianum sole exoriente calescit, meridie ardet. Apulia æstivo calore maxime fervet, ita, ut ante finem Maji pene exusta sit. Siccitati aliud malum additur, innumerabilium muscarum infestatio: ex quo Italorum proverbium:

Chi miol pruouar l' inferno
La state in puglia, in Abruzo il verno.

Loca quæ occidentem spectant, sole exorto tepescunt, meridie calent, vespere fervent; quæ caloris & refrigerationis mutatione subita, corpora quæ in iis degunt locis, vitiari necesse est. Ad orientem conversæ urbes, ait philosophus, [d] & ad eos ventos qui inde perflant salubriores sunt. Septentrionalis

[a] Strabo libro 6.
[b] Suidas.
[c] lib. 1. ca. 4.
[d] Aristot. 7. Politic. 9.

quoque plaga non recipit mutationes noxias;&,quia firmior est,corpora diutius servat;quod quidem ex esculentis quæ reconduntur satis apparet; quæ dum modicis fenestellis ad septentrionem refrigerantur,tardius marcescunt; quæ vero ad calidas cœli partes ponuntur, facilè & citò corrumpuntur. Locris & Crotone pestilentiam numquam fuisse annotatum est,unde proverbium:*Crotone salubrius*. Sergianum [e] Hetruriæ oppidum ex Lunæ antiquæ urbis ruinis crevit, quum incolæ pestilentis ejus litoris aura,quæ maxime ad macræ ostium vergit,offensi, ædificia in editiorem locum subduxissent. Stratonicus Musicus Seriphi agens, hospitem suum percontatus est, ob quam caussam illic homines solum vertere juberentur: quumque iis respondisset;*Flagitiosos tantum apud Seriphios exsilio mulctari;Quin* [f] *tu quoq;*,subjunxit,*flagitii aliquid committis, ut ex his locorum angustiis aerisq; intemperie emigres?*

[e] Iovius li. 1. Histor.

[f] Athenæus lib. 8. cap. 7.

CAPUT III.

De ubertate soli.

Columella libr. 1. cap. 3.

PORtius Cato censebat in inspiciendo agro duo præcipuè esse consideranda;salubritatem cœli,& ubertatem loci: quorum si alterum deesset, ac nihilominus quis colere vellet,cum mente esse captum, atque ad agnatos & gentiles deducendum.Neminem enim sanum debere sumtus facere in culturam sterilis soli;nec rursus pestilenti, quamvis feracissimo pinguique agro dominum ad fructus pervenire. Nam ubi sit cum Orco ratio ponenda, ibi non modo perceptionem fructuum, sed & vitam colonorum esse dubiam, vel potius mortem quæstu certiorem. De aeris temperie egimus capite præcedenti:nunc addimus, ad magnitudinem urbis non parum facere agri vicini bonitatem,quæ civibus alimoniam abunde suppeditet. Cum Diogeni [b] quidam exprobraret, *Te Sinepenses Ponto exulem esse iusserunt; At ego* (inquit) *illos hac damno pœna, ut in Ponto extremisq; Euxini litoribus inclusi perpetuo maneant*.eos potius exsulare innuens,qui infelici regioni tanquam adscripti erant. M. Cato [c] novem conditionibus bonum agrum describit, quæ si non conjunctim omnes reperiantur; nam difficile id admodum;is optimus erit,qui plura ex his habebit.

[b] Diog. Laert. libr. 6.

[c] De re Rustica, cap. 1.

bebit. Primam agri qualitatem illic esse vult, ubi vineæ esse possint, bono & multo vino: secundam, ubi hortus irriguus; tertiam, ubi salicta; quartam, ubi oliveta; quintam, ubi pratū; sextam, ubi campus frumentarius; septimam, ubi sylva cædua; octavam, ubi arbustum; nonam, ubi sylva glanduaria. Qui fit quod pleræque Italiæ & Galliæ urbes, tot incolis exundent? quia ubique vitalis & perennis salubritas conspicitur, eximia cœli temperies, campi fertiles, aprici colles, innoxii saltus, opaca nemora, munifica sylvarum genera, metallis gravida, nobilia pecori vellera, optima tauris colla, perspicui & piscosi lacus, flumina fontesque saluberrimi. Agrum consideremus Neapolitanum, cujus tanta ubertas, ut *Bacchi* meritò & *Cereris certamen* à Floro vocetur. Arua ipsa arbustis, iisque frequentissimis consita sunt; arbores pleræque patentissimis ramis diffusæ & in vastam proceritatem consurgentes, vitibus amictè, quæ geniculato procursu ad cacumina scandentes, atque inde præcipitatæ, ad solum usque pervenientes, ea sunt feracitate [d], ut una arbor (incredibile dictu) eam vini ferat vim, quæ quinque clitellariorum mulorum onus sit, At quæ vina? generosissima, & quæ veteribus etjam in pretio; Massica, Cæcuba, Falerna. Idem solum frumenti ita ferax, ut à nullo, quod ea laude excellat, vincatur; quodq; multis in locis si biennium quieverit, quatuor continuos annos restibile fiat. Quid de agro Mediolanensi dicemus, qui cunctis rebus tam necessitati mortalium, quam deliciis & voluptati opportunis abundat? Similia de Galliæ, & Germaniæ superioris & inferioris urbibus multis dici possent, quæ solum vicinum habent frumenti & omnis generis fructuum feracissimum. Sanè mira sunt, nec sine rubore referenda, quæ de feracitate Insulæ Hispaniæ [e] ab Hispanis traduntur, raphanos, luctucas, brassicas, quindecim dierum spatio à satu maturescere; pepones & cucurbitas sex & triginta dierum; vitem, intra annum frugiferam fieri; triticum (ne non omnia experirentur) principio Februarii humi conditum, ad idus Martias maturuisse. Objicere hoc in loco quis posset, Athenas olim, hodie *Noricum* in Germania, & *Limogeam* in Gallia, aliasque nonnullas urbes, quæ amplissimæ cum sint, agros nihilominus steriles habent. Sed non difficilis

[d] Foliet. de laudib. Neapol.

[e] Roderic. Sant. parte 1. Hispan. historia cap. 4. Rodericus Tolet. 3. rer. Hispa. c. 20.

est responsio: nam urbes illæ aliis excellũt opportunitatibus, & à bonis agris haud procul absunt: adde, quod pauperiores ob agri sterilitatem se majore conatu ad opificia dedere cogantur; qua de re suo loco, Deo favente. Soli ubertati, lignorum subjungo copiam. lapidum & arenæ. quæ enim harum rerum inopiam laborant urbes, difficulter ad magnitudinem aliquam perveniunt. Si domos ædificare volumus, tignis opus est; si coquere, non magis igne quam lignis carere possumus. *In conclusionibus* (ait Vitruvius [f]) id est, in obsidionibus, *reliqui omnes faciliores sunt apparatus quam lignorum. Sat enim facile importatur, frumenta publicè privatimq; congeruntur, & si desint oleribus, carne seu leguminibus defenditur. Aquæ fossuris puteorum & de cœlo repentinis tempestatibus ex tegulis excipiuntur. De lignatione quæ maximè necessaria ad ædificandum & cibum coquendum, difficilis & molesta est apparatio, quod & tardè comportatur, & plus consumitur.* Si igitur urbi vicinæ fuerint silvæ, & lapicædinæ, arenæque, vel marinæ vel fluviales, vel fossitiæ, civibus id ædificandi animum addet. Calx marmore, aut saxo albo, vel vivo silice optimè coquetur. Harum rerum neglectus, quæ prima fronte non magni videntur momenti, sæpè urbibus nocuit.

f lib. 8. ca. 5.

CAPUT IV.

De Urbium amœnitate.

SCribunt [a] Triacolam, Siciliæ urbem τρία καλὰ, hoc est, pulcra continere. Primum, quod scaturigines aquarum plurimæ in ea inveniantur, quæ dulcedine præstant: deinde, quod agris circumdetur, vinetis & olivetis amœnis, & culturæ admodum aptis: postremò, quòd optimè sit munita. Urbs Granata odoratis citrorum viridariis & fontium perennium scaturigine, vermiculatisque passim pavimentis admirabilis existimatur: Duæ ex adverso exsurgunt Regiæ oppositis collibus, [b] ita ut imagine quadam navis hæc proram; illa, puppim obtinere videantur; Media vallis domorum frequentia celebris, urbem disterminat majore amœnitatis, quam munitionis studio. Quid de amœnitate urbis Neapolis dicemus, ubi ver perpetuum; neque floribus tantum vernant illa littora, sed nulla pars anni florum & fructuum expers? Numquam [c] regio illa aut

a Diod. Sicul. libr. 16.

b Iovius in Consalvo.

c Poliet. di, cto loco.

illa aut frigore riget, aut nivibus horret, aut gelu torpet. Cumque ea cæterarum regionum natura sit, ut quod solum pingue ac ferax sit, necessariisque fructibus abundans, id minime amœnum esse soleat: contra, quod amœnum est, ab ubertate destituatur; cujusmodi circum Spadanos campos & Ligusticam oram cernimus; quorum illi frumenti ac lactis, necessariarumq; rerum feracissimi, amœnitate Ligusticorum littorum carent; ex adverso frumentis destituitur maritimæ Liguriæ omnibus amœnitatibus referta ora: jam tanta est agri Campani gloria, ut fœcunditas cum amœnitate certet; & regiones, quæ alterutra tantum laude præstant, utraque superet. Non dissimilia de multis aliis urbibus dici possent. Quàm amœni sunt juxta Bruxellas horti, nitidissimè culti, in quibus varia hortensium fructuum genera pro diverso anni tempore proveniunt? Mirum dictu quam agri & saltus vicini, vario avium ferarumque genere abundet! Quid amœnius (ut alia præteream loca) prospectu urbis Basileæ? Nam cum ille omnis dupliciter commendetur? vel ex ipsa aspectus sui ratione, iustaque dimensione; vel ex rerum quæ aspectui subjiciuntur, specie, ac varietate; Basileenses utroque gaudent. Amœni enim illi colles & campi quos urbs aspicit, neque tam propinqui sunt, ut radios oculorum nimis cohibeant, ac veluti carcere constringant; neque tam longè dissiti, ut prospectus nullis locorum terminis circumscriptus, per immensam vastitatem excurrat, nulloque consistent loco hebetetur; sed oculis sat laxamenti præbent, eosque objectu suo terminant, ne latius circumjectorum acies evanescat. Si visum demittas, Rhenum aspicies mediam urbem secantem, & in eo pontem, hominibus repletum: ut lucum Petrinum, & cætera omittam.

CAPUT V.

De Urbibus quas flumen, lacus vel mare alluit.

QUantum maritimis subvectionibus, aliisque navigationibus urbes ditescant & augeantur, incredibile dictu. Si igitur commoditate aquæ navigeræ fruantur, fieri vix potest, quin ad magnitudinem brevi perveniant. Sic Venetos, Genuenses, Massilienses, Anglos, Belgas & Gallos vi-

demus navibus ſuis etjam remotiſſima quæq; orbis terrarum loca ſcrutari, & aromata, uniones, ſericum, aliaque domum referre. Conſtantinopolitanæ urbis ſitum commodiſſimum eſſe oportet, cum in Iſthmo ſita, [a] tribus partibus portuoſo mari alluatur, Propontidi & Ægæo mari imperet, Euxino pariter, uno illud oſtio claudens, Boſphoro ſcilicet, quem invitis Conſtantinopolitanis tranſire nemo poteſt: Aſiæ & Europæ veluti pons eſt, & porta utriuſq; orbis expeditior q̃ Helleſpotus; ut merito *Europæ totius arx* vocari poſſit, atq; quendã principatum præ ſe ferre non obſcuræ videatur. Sic Alexandriam duo maria undiq; alluunt; alterũ à Septentrione, quod *Ægyptium* dicitur; alterum, à meridie, quod *Mareotis* appellatur. Hanc Nilus multis foſſis tam è ſuperioribus partibus, quàm è lateribus adauget, per quas multo plura importantur quam mari; unde fit ut portus, qui in lacu eſt, ditior ſit maritimo. Tarentum urbs præclara in inſulam traducta, mari cingitur, ut Venetiæ. Juxta Lugdunum atrox & fervens Rhodanus per fines Heduorum fluentem Ararim cum quadam aquarum modeſtia excipit, ac tranquillum & curſus ſuos diſſimulantem humeris portat in Maſſilienſe pelagus, terras proluens fertiliſſimas. Unde Claudianus [b] Poeta.

Quam Rhodano ſtimulatus Arar, quos inter aprica
Planities, Cererięq; favet, denſisq; ligatur
Vitibus, & glaucos fluctus attollit olivæ.
Dives equis, felix pecorum, pretioſaq; picto
Marmore.

In confeſſo eſt hiſce fluminibus fœcundari agrum & populum importata annona lætari, & quia in mare Liguſticum decurrunt, importandis & exportandis mercibus accommodatiſſima eſſe. Turrianus quidam Mediolanenſium prætor, ad confirmanda populi ſtudia, omnes operas ad Ticinum conduxit, [c] ut non procul ab Abiato oppido emiſſarium navigabile, derivata parte amnis ad urbem perduceret, ad faciliinas ſubvectiones importandorum ex agris fructuum; qua incoparabili commoditate populus in cottidianos uſus perpetuo frueretur. *Non ſine cauſa* (ait de Roma Livius [d]) *Dii hominesque hunc urbi condendæ locum elegerunt: ſaluberrimos colles, flumen oppor-*

[a] Petr. Gill. in Topogr. Conſtantinop.

[b] libr. 2. ad Eutro.

[c] Iovius in vita Ottonis.

[d] lib. 5.

portunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus excipiantur: Mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum. Sed quid in re tam clara exemplis opus? si quis quantum navigera flumina urbes juvent scire vult, is eas perpendat urbes, quæ in Italia ad Arnum, Athesin, Padum: in Gallia, ad Ligerim & Sequanam: in Germania, ad Rhenum & Danubium positæ sunt. [e] lib. 22. *Perfluunt* ait de Adiabena [e] Ammianus Marcellinus, *potiores ante alios amnes hi quos prædiximus*, (Diavam & Adjavam intelligit,) *& Marsias flumen regium & Euphrates cunctis excellens: qui tripartitus navigabilis per omnes est rivos, insulasq́; circum fluens ditat, & arva cultorum industria rigans diligentius, vomeri & gignẽdis arbustis habilia facit.* Inter flumina vero ea præstantiora habentur & utiliora, in quibus navigia ultro citroque discurrere possunt, torrentia periculosiora & minus idonea sunt. Porro quia de fluminibus hoc in capite mentio facta, addendum est, inter urbis maxime necessaria, aquam esse salubrem: hoc enim elemento nulla ratione carere possumus. qua in re veteres diligentissimi fuerunt, qui non modo oppida urbesq́; condituri, sed & dum castra stativa eligebant, in puram inquirebant aquam. [f] lib. 4. c. 10. *Magna urbis utilitas*, inquit Vegetius, [f] *cum perennes fontes murus includit. quod si natura non præstat, cuiuslibet altitudinis effodiendi sunt putei, aquarumq́; haustus funibus extrahendi.* Aqua ea optima, quæ motu velocissima, limpidissima aspectu, levissima pondere, facilima cõcoctu, ab ortu solis ad occasum incitata est. Si aquam contingat alicubi insalubrem esse, confestim ex habitatorum facie cernitur. [g] Aristot. 7. Polit. 9. Quod [g] si aquæ potores validis corporibus, nitido colore, oculis acribus sint, de aqua non dubitandum; secus, si contra. Aquis gelidis & salubribus Basilea abũdat, in ipsa urbe scaturientib. & aliunde adductis.

CAPUT VI.

De Urbibus benè munitis.

QUia urbium ædificatio duplicem habere caussam videtur, utilitatem commodè vivendi in societate, eamque augendi, & securitatem civium: ad magnitudinem urbium non parum faciet, si adversus quoslibet belli impetus muni-

munitæ fuerint, fossa, vallo, mœnibus. *Maiores nostri*, ait Livius,[a] *castra munita, portus ad omnes casus exercitus ducebant esse, unde ad pugnam exirent, quo iactati pugnæ receptum haberent*. Arces & muri muniti, paucorum opera magnam hostium manum arcere possunt, pugnantibus vel solis elementis adversus obsidentes, ut frigore, pluviis, æstu & commeatus penuriâ: quæ sæpe ingentes copias cogunt invitos obsidionem solvere: Et salvi sunt cives eò confugientes, qui alioquin in urbibus male munitis, hostium omnibus injuriis expositi manerent. Exempla hic magnarum & potentissimarum urbium adducere possem, quæ firmissimo murorum ambitu propugnaculis, multisque ad hostium furorem arcendum peridoneis turribus, formidabiles sunt: sed iis in re tam aperta opus non est. *Vrbium fossæ*, ut testatur Vegetius [b], *latæ esse debent, altißimæq;* id est, profundæ, *ut nec facilè poßint coæquari, repleriq; ab obsidentibus; & cum aquæ cœperint inundari ab hostibus, continuari cuniculum minimè patiantur. Nam duplici modo opus subterraneum peragi earum altitudine & inundatione prohibetur*. Quod ad murum attinet, audiamus Vitruvium [c]; *Collocanda*, inquit, *oppida sunt, non quadrata nec procurrentibus angulis, sed circuitionibus, uti hostis ex pluribus locis conspiciatur, & excogitandum, ut portarum itinera non sint directa, sed σκαιὰ*. Et Vegetius [d], *Ambitum*, ait, *muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum esset dispositus, sed sinuosis anfractibus, iactis fundamentis clausere urbes, crebrioresq; turres in ipsis angulis erexerunt*. Verum de ratione muniendi, non desunt etjam ex recentioribus, viri magni, qui doctè admodum & ad nostra tempora congruenter scripserunt. Quæri hoc in loco potest, an artes & propugnacula (quæ vulgò *castella* & *citadellæ* vocantur) in urbibus collocata ad earum magnitudinem faciant. Dubitandi caussa, quia cives talium urbium ab hostium injuriis tutiores videntur: contrarium nihilominus à prudentioribus respondetur. quia mercatores præcipuè ea loca fugiunt, quæ arcis alicujus præsidio tenentur, quod ea vix umquam sine tyrannide præsumantur: Ideò Pedianus *arcem* definit *sedem tyranni*. Et, ut uno rem verbo dicam; solent ejusmodi arces, quod usus cottidiè docet Principibus utiliores esse, quam civibus. Imminet quoque periculum, ne arcium præfe-

a lib. 25.
b lib. 4. c. 5.
c 1. lib. 5.
d lib. 4. c. 2.

præfecti ſe ad urbem prodendam corrumpi ſinant, ambitione ducti, avaritia, odio vel perfidia: qui metus civibus alacritatem adimit.

CAPUT VII.

De Vrbium commoditate, elegantia & magnificentia.

ILLud ad urbis quoque magnitudinem pertinet, ut ædificia tum publica, tum privata ad uſum commoda, ad hilaritatem & amœnitatem jucunda, & ad urbis gratiam magnifica ſint, ſive molem ſive materiam, ſive artificium ſive ſymmetriam ſpectes. Sint igitur urbium plateæ directæ, ab una ad alteram portam, & latæ, cum ad vecturam, tum adverſus ventos deſcriptæ: ad quas, ædes privatorum ad pares conſtituantur dimenſiones. quam rem *Veſpaſianum Gonzagam* Principem prudentiſſimum in inſtauratione Sablonetæ & Bozoli, ſumme noſtro tempore obſervaſſe vidimus: cujus ob id quoque lubenter meminimus, quod pater meus aliquando ab Aula illi præfectus. Nec vero poteſt hac laude ſpoliari Bernenſium magiſtratus, qui formam ædificandi civib. propoſuit certam, juxta quam ædificaturo, publicis impenſis lapides & ligna uſque ad locum ædificii convehuntur. Ac tametſi forma illa non à prudente architecto uſquequaque profecta eſſe videatur, ut quæ porticus atque ædes nimis humiles habeat, minuſque commodas, tamen ob proportionem ſervatam urbs elegantiſſima judicatur. In platearum triviis latiores areæ relinqui ſolent, ad fora boaria, piſtoria, piſcaria, ſuaria, olitoria & ſimilia. Et *ſi erunt mœnia* (ait Vitruvius [a]) *ſecundum mare, area ubi forum præcipuum conſtituatur, eligenda proxime portum; ſin autem mediterranea, in oppido medio.* Prolixus nimis forem ſi Italiæ & Galliæ tot præclararum urbium elegantiam & magnificentiam recenſere vellem: ſed & Germania me detineret nimium, ſi exempli gratia, Auguſtam Vindelicorum, Norimbergam, Uratislaviam, Argentoratum, Viennam, Antverpiam, Bruxellas, Brugas, aliaſque complures deſcriberem, quæ non minore laude dignæ: nam ſumtuoſiſſimis ædificiis ſtructura ſolida & firma, plateis amplis ac nitidis illis nequaquam cedunt. Unico urbis Neapolis exemplo contentus ero, ubi infimorum

a li. 1. c. ult.

morum etjam ædes altitudinem Nobilium domorum æquāt, omnesq; pene in quintam contignationem, nonnullæ etjam in sextam consurgunt, totis denique familiis sedes præbent, & frontium specie atq; pulcritudine nobilium domib. pares sūt: nam & ostia & fenestras affabrè factas habent, antisq. & epistyliis & zophoris ac coronis mirificè exornatas. Ipsorum vero nobilium domibus b nihil ad magnificentiam deest; nam maxima pars ex lapide sunt quadrato, peristyliaq; habent atq; ornatissimas & laxas porticus; quæq; unica istius urbis commendatio est, maxima illarum pars hortos pensiles sustinent, felicissimarum quarumvis arborum silvis consitos, ad secundam contignationem sublatos, in qua herilis habitatio est, ut ex ipso triclinio & cubiculis, quibus herus utitur, fit in hortos ex æquo transitus. Verùm publicis in operibus magnificentia magis est efferenda. Quis namq; dubitat quin templa, fora, theatra, amphitheatra, basilicę, Mausolęa, pyramides, thermę, porticus & ejusmodi ædificia, urbes reddant illustriores, ut si ex solido marmore, prudenti structura, vel alia ratione cospicua sint. Augustum Cæsarem adeo urbem Romam excoluisse scribunt c, ut jure gloriatus sit, marmoream se relinquere, quā lateritiam accepisset. Publica opera suo nomine exstruxit, forum cum æde Martis Ultoris, quā Philippensi bello voverat, templum Apollinis: condidit & Tonantis ędem in Capitolio, Cantabrico bello votam, quum nocturno itinere fulgur ipsius lecticam perstinxisset; Fecit & portum, Basilicamq; & alia. Cujus exemplum secuti sunt multi ex successoribus, qui magnificentia ędificiorum multipliciter eum superarunt. Magnus Sfortia d, patriam Cotignolam fortuito incendio absumptā, privata liberalitate instaurandam suscepit; singulos etjam cives cohortando, ut ædificare luculentius vellent, quando ipse lateres, materiam, calcem se gratuito collaturum profiteretur; Factūmq; subinde est, ut celeriter ad ornatis domib9, directisque viis, privatim & publicæ gratiæ Principi ingentes agerentur; quod opportuna liberalitate & privatæ commoditati, & elegantiæ publicæ consuluisset. Possent complures alii nominari, qui exstructis operibus magnificis, templis, xenodochiis, scholis, aquæductibus, Gymnasiis, pontibus, palatiis, prætoriis,

b Vbert. Fol. de laud. urb. Neap.

c Sueton. in Augusto.

d Iovius in Magno Sfortia.

rias, aliisque, urbes suas illustriores reddidere. Roma, Nemausum, Verona, Dola amphitheatris & Basilicis: eadem Roma, Florentia, Mediolanum, Ambianum, Argentinæ aliæq; templis augustis & amplissimis celebres sunt.

CAPUT VIII.

De Urbibus ad vias regias, vel in Imperii finibus sitis.

AD magnitudinem urbis plurimũ conducet, si ita sita sit, ut illac homines cottidie multi iter facere cogantur; tum, quod ab extraneis multa importentur ad victum vestitumq; necessaria; tum, quod ea ratione vectigalia augeantur. Quod si huc accedat, ut in Imperii vel Regni alicujus finibus jaceat, commoditas ad magnitudinem tanto major erit. Qui ex Italia vel Germania in Hispaniam proficiscuntur, ii fere omnes Genuam petunt; & cõtra, qui ex Hispania in nostras tendunt regiones: inde fit ut urbs hæc, ob tantorum regnorum vicinitatem & commercia multis fruatur cõmodis, ex quibus cives ditescant. Similia de Antverpia, Amstelrodamo, Venetiis, Augusta Vindelicorum, aliisq; urbibus dici potest. Nec dubium est, hoc inter alia Mediomatricum urbi, Coloniæ, Genevæ, Argentinæ summè profuisse, quod in Imperii finibus jacent. Trajectum in Frisia, urbs potens, *à traiiciendo* dicta existimatur, ob frequentem mercatorum aliorumq; per hanc urbem transitum: habet quinetjam multa oppida vicina, ad quæ brevissimo tẽpore, Trajecto perveniri potest. Crevit Lugdunum Galliæ, ob magnum exterarum gentium concursum, quem parit situs: est enim ita in finibus Galliæ, ut medium fere totius Europæ constituat, unde cives omna mercium genus transferre in quamcunq; orbis partem possunt. De Constantinopoli paullo ante diximus, eam tam commodo loco sitam, ut nemo ultro citroq; in Asiam vel Europam trajicere possit, nolentibus Constantinopolitanis, cum sit velut porta & pons utriusq: orbis. Hispalis, quam vulgo *Sevillam* vocant, ita sita est, ut quotquot ex India naves pretiosissimis onustæ thesauris, Æolo favente redeunt, eô appellere, sesèque exinanire compellantur: ex quo magno numero quotannis in Augusto vel Septembri incredibiles ejus opes accrescunt.

CAPUT IX.

De thermarum salubrium opportunitate.

HOminum concursui aquarum medicarum quæ vel potione vel ablutione juvāt opportunitatem causam præbere non exiguam, usu compertum. Natura nos docet, ut ea quæramus, quæ ad salutem nostram compendii aliquid adferunt. Sulphurosas comperimus, articulis nervisq; utiles: aluminosas, pituitæ fluxionibus: bituminosas, alvum sine do-
a lib. 31. c. 1. lore solvere. Thermas salubres censet [a] Plinius in Aquitania apud Tarbellos, & in Pyrenæis montibus, Puteolos in Campania, Sextias in Narbonensi provincia; ita dictas, quia apud eas Sextius quidam oppidum condidit: nusquam tamen largius quam in Bajano sinu proveniunt. Sinuessanæ sterilitati fœminarum, & virorum insaniæ medentur: at quæ in Ænaria insula reperiuntur, calculosis prosunt. Mirabilis aquarum calidarum ad Budam in Hungaria & ad Badenas tam Helveticas quam Marchionatus natura fertur; quum ebullientis aquæ tantus sit fervor, ut manibus vix tentari possit. Aquisgranum pari ratione nobilitant aquarum calidarum uberrimi simul & saluberrimi fontes, nec calore nec humore deficienti, tantaque copia scaturientes, ut singuli plures balneorum alveos non exiguos nova cottidie aqua implere queant: quorum multi intra mœnia, ceteri in vico suburbano. Fabariæ quoq; vulgò *Pfevers*, Thermæ apud Rhætos ad cœnobium Benedictinorum vetustissimum, sub Friderico II. Imperatore reper-
b Stumpf. li. 10. Helvet. tæ [b] ulceribus, Chironiis, corporibusque vel morbo, vel labore resolutis, mirè utiles. In profundissimo & angustissimo hiatu, ad cujus apicem æstivo tempore meridianus sol unica tantum hora pertingit, sitę, aquam fundunt calidam, pellucidam, insipidam, Majo primum mense ex scopulo prorumpentem, Septembri denuo evanescentem, sex ferè mensibus feriatam. Valesiani quoque thermas Viberas sive Brigias habent, sulphureas: habent quoque Leucinas tanti fervoris, ut cocturæ etjam inserviant; ad quas incolæ & advenæ crebri confluunt. In agro Senensi quatuor millibus ab urbe passuum aqua reperitur, quam vulgo *Bullulam* vocant, ad quam, tamquam saluberri-

berrîmam & quæ verno tempore epota, pluribus morbis prodest, ingens hominum concurrit multitudo: Quod idem de Balneis Lucensibus dici potest. Urbi quoque Neapolitanæ eximia additur gratia tepentium fontium, qui non modo delicatum usum balneorum præbent, sed ad complura morborum genera sananda & levanda miras habent virtutes: Sulphureæ quinetjam sunt venæ, ex quibus exhalans vapor per subterraneos specus ad corruptos humores excitandos, debilitataque membra corroboranda, doloresque tollendos mirum in modum valent.

CAPUT X.

De vicinitate Metalli fodinarum & mineralium.

CUm usu compertum sit metallorum & mineralium fossionem uberem & magni quæstus esse, inde fit ut homines libenter ea loca quærant, quæ metalli fodinas vicinas habent, vel loca mineralia. Hispaniæ felicitatem admiratum Possidonium [a] ferunt, Hispaniæ subterranea non infernum, sed Plutum ipsum, id est, opulentiæ Deum, nominasse: eo quod tanta in eo terrarum tractu metallorum esset ubertas. Aurum laudatissimum adfert Bætica, quæ totius Europæ maxime Australis; ut Aphricæ Æthiopia: vicena millia pondo auri annis singulis Asturiam atque Galleciam, & Lusitaniam præstare, viri fide digni affirmant. Italia [b] metallorum est adeo fertilis, ut interdicto quondam opus fuerit ei parci. Exstat lex Censoria Ictimulorum auri fodinæ, qua in Vercellensi agro cavebatur ne plus quinque M. hominum in opere publicani haberent. [c] Scribit Bonfinius [d] in plerisque Pannoniæ fluminibus auri optimi ramenta inveniri; Sed & Transylvaniam non solum pecoris, vini, frumenti, sed argenti etjam & auri feracissimam esse idem auctor est: ibique amnes nonnullos auri fragmenta, quandoq; sesquilibralia trahere, quum montibus sit undique circumsepta in coronæ speciem. Æneas Silvius [e] testatur Cuthnam in regno Boemiæ argenti inexhaustas fodinas habere. Tempore Plinii [f] constat adhuc per Hispanias visos ab Annibale inchoatos argenti puteos sua peculiaria ab inventoribus nomina habentes, ex quibus *Bebelo*

a Cæl. libr. 18. cap. 22.

b Plin. 3. c. 10.

c Idẽ 33. c. 4.

d Decad. 1. libr. 1.

e Histor. Boem.

f lib. 33. c. 6.

appellabatur, qui c c c. pondo Annibali indies subministrabat, ad quingentos jam passus cavato monte. Montes qui in Forojulio sunt, omnibus fere metallorum generibus abundant, nempe ferro, plumbo; marmor etjam habent nigrum, candidum, varium, lapillos carneolos, berillos & similes, item crystallum. Jam de Salinariis aliquid dicamus. Salis genera hæc recensentur, cæsum, fossitium, fontanum, fluviatile, lacustre, & marinum. Scribit Marinæus g apud Ribagorciam in Hispania sal lapidum more cædi, & arborum instar pullulare & renasci. Drepanum urbs Siciliæ salsis gaudet stagnis, quæ solis ardoribus desiccata, incredibilem salis copiam præbent. Cardonæ quam plurimi se ex salis mercatura sustentant: præstat enim ille locus salis fertilitate vicinis omnibus. Notum illud, quantum lucri ex Salinis Gallicis percipiatur: nam videmus sæpissime navium peregrinarum classes ad mare Gallicum appellere, salis exportandi caussa. Salinæ uberrimæ in Germania sunt, Lunæburgi & Halæ-Saxonum: unde præcipui civium vitam adeo honeste tolerant, ut mercatura illa nobilitatis species esse censeatur. Restaret ut & de terris dicerem fœcundis sulphure, bitumine, pica, naphtha, succino; sed cum brevitati mihi præscriptæ parendum sit, & hæc apud alios reperiantur, hoc unum dixisse sufficiat: Papa Pio II. sedente h in agro Tolphano prope Centumcellas, montes aluminis patefactos esse, ex quibus proventus annui c. millium aureorum nummûm summam excedunt. Et quantum Volaterani i ex aluminis fossura ditescant, sed & ii qui hoc negotii genus tractant, palam est,

g lib. 1. de reb. Hisp.

h Ioh. Cap. in vita Pii.

i Brut. lib. 5. hist. Floret.

CAPUT XI.

De Vrbibus quæ Academiis, collegiis vel Bibliothecis florent.

HActenus de urbe inanima, id est, de urbis situ & ædificiis diximus: jam tempus postulat ut ad civitatem, quæ animata est, progrediamur; & ea pariter quatenus ad urbiũ magnitudinem faciunt, examinemus. Inter quæ primum locum dabimus *Academiis & scholis*, quas vulgo *universales* vocant. Nam ubi omnis generis disciplinæ publice gratis, & cum

cum applausu explicantur, solet merito urbs aliqua etjam à remotissimis quibusque visitari; urbs, inquam, illa obscura esse non potest. Ut enim magnetis montes, etjamsi plerisque incogniti sint, chalybis aciem magnete fricatam ad suas vertunt partes: sic Academiæ ob docentium eruditionem, ex quacunq; orbis parte quamplurimos ad se ex præcipuis, quávis terrarum spacio longè lateque dissitos, pertrahunt. Inde tot præstantissimos viros in exteras regiones discendi studio legimus, in Babyloniam videlicet, Chaldæam, Mediam, Assyriam, Syriam, Phœniciam, Arabiam, Palæstinam & Æthiopiam, profectos. Verum quid antiquioribus hisce exemplis opus? quot, quæso, in Germania, Gallia, Italia & Polonia oppida, quæ ante Gymnasia ibi constructa tam obscura fuerunt, ut Geographi ea noluerint vel exiguo aliquo loco tabulis suis dignari; eademque postea ad tantam magnitudinem ex solo studiosorum concursu, Academiæque celebritate excreverunt, ut nunc cum præcipuis urbibus certent, íd quod alio quoque loco [a] dicere memini. Celebres Athenæ magis ex studiorum cultura, quam alia de caussa fuerunt: ideò eas nonnulli *Musæum Græciæ* vocant, alii *culmen & firmamentum sapientiæ*. Memphis non solum propter religionem & Deorum cultum, Regumq; sepulchra celebris, sed etjam sapientiæ studio summe floruit, Rhodus nō tam ob loci opportunitatem, quam ob Gymnasium celeberrimū, nota quondam orbe toto fuit. Idé de Massilia olim, Lugduno, Lutetia, Aurelia, Biturigibus, Bononia, Salamanca, Patavio, Pisis, Vienna, Praga, Lovanio, Heidelberga, Basilea, aliisque dici posset. Porro Academiæ celebriores futuræ sunt, si collegiis benè auctis & locupletatis gaudeant, in quibus qui inter Scholasticos inopes sunt, vili pretio vel gratis nutriuntur, ut ne penuria multos, qui bonis ingeniis præditi sunt, studia deserere cogat, quam rationem ubique locorum, in quibus Academiæ florent, observari videmus. Patavii, ut alia omittam Gymnasia, novem collegia, ad sustinendam studiosorum juvenum inopiam reperiuntur; Forojuliensium, Feltrensium, Spinellium, Pithium, Campionis, Neapolitanum, Brixianum, Græcum, & Ravennate. Quo nomine liceat mihi

[a] In Principe cap. 3.

mihi unum de multis laudare Serenissimum JOANNEM CASIMIRUM Archipalatinatus Administratorem, Principem æterna memoria dignum; qui, quamvis armis potius, quam literis excelluerit; collegia nihilominus litteraria, magnifica & *Neostadii* & *Heidelbergæ* reliquit magnis reditibus locupletissima. Quod de Academiis & collegiis dictum, ad loca quæ religione præ cæteris commendantur, trahi possunt. Cujus rei exempla habemus apud Ethnicos. Non minus enim religionis studium, in Judæo, Ethnico, Turco esse potest, quá in Christiano: in hoc tamen verius; à reliquis ita differens, uti lux à tenebris, veritas à mendacio, uti corpus à Phantasmate. Perpendamus magnum ad templum Dianæ veterum concursum, Hierosolymam, Romam, Memphin, & alia sacris ædificiis insignita loca, & rem ita se habere fatebimur. Cæterum & Bibliothecas bene instructas, Academiarum & urbium celebritatem augere, dubium non est. Sunt *Bibliothecæ thesauri litterarii*, in quibus optimorum auctorum libri reconduntur, qui & universæ Reip. & privatorum commodis inserviunt. Larensii laudes celebrat Athenæus [b], ejusque insignem librorum numerum, refertque inter eos, qui admiratione digni visi sunt, in congerendis libris, Polycratem, Samium, Pisistratum qui regnavit Athenis, Nicostratum, Cyprium, Regesque Pergami & Ægypti. Adrianus Junonis & Jovis templum Atheniensibus ædificavit, communemque omnibus Diis ædem, in qua Bibliotheca erat & Gymnasium Adriani nomine. Sed ut propius ad nostra tempora accedamus, & Constantinum, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, Alphonsum Arragonum Regem, aliosque prætereamus: Franciscum Primum, Galliæ Regem Parisiis apud S. Victorem & in arce Fontanablio, Bibliothecas præclaras instituisse notum est, quas conquisitis undique libris rarissimis ex media usque Græcia & Arabia illustravit. Bononiæ duæ sunt Bibliothecæ; una ad Salvatorem; altera, ad D. Dominicum. Florentiæ sex ostenduntur, ad Laurentium, D. Marcum, D. Benedictum, ad Sanctam Crucem, apud Episcopum, & ad D. Mariam novellam. Romæ cottidie aperitur per duas horas Bibliotheca Græcis Latinisque libris exquisitissimis refertissima. De cæteris quæ in mona-
naste-

[b] l. Dipnosoph. 1.

naſteriis reperiuntur, nihil dicam. Venetiis quoq; inſignis Bibliotheca viſitur, quam BESSARION Venetis legavit. Cur vero Sereniſſimi & potentiſſimi FRIDERICI IV. Electoris, domini mei Bibliothecæ auguſtæ, quæ Heidelbergæ in æde Sancti Spiritus adſervatur, obliviſcar, quæ libris optimis, iiſque raris adeo repleta eſt, ut cum præcipuis Italiæ & Galliæ Bibliothecis certet? cui tam celebri Bibliothecæ optimi Principis juſſu præeſt PAULUS MELISSUS, *Vates iamdudum tota celeberrimus orbe*, ejuſque ſtudio indefeſſo magnum ea in dies incrementum capit.

CAPUT XII.

De urbibus quæ magnorum Principum aulis, vel ſummis dicaſteriis clarent.

QUis dubitat urbes eas in quibus Imperatores, Reges aliiq; Principes frequentius habitāt, tum ob ſubditorū, quibus cum principe res eſt, concurſum, tum ob multiplicia aulæ miniſteria, exterorumq; principum & legatorum, aliorumq; adventum ampliores fieri? Adfert & principis habitatio hoc commodi, quod ædificiis ſplendidioribus magis urbs exornatur, artibuſq; manuariis & ceteris rebus ad victū veſtitumq; neceſſariis, affluat neceſſe ſit. Uſus cottidie docet quantum incommodi principis ab ordinario habitationis loco abſentia, civibus, qui muſcas interea captare compelluntur, adferat. *Quo tempore Pontifices Româ relictâ Avenioni annos plus minus ſeptuaginta habitarunt, urbem plane deſertam, undiq, corruere vidiſſes*, ait Platina;[a] ſed poſt reditum *Gregorii X I.* aliam protinus faciem induiſſe apparuit. Poſtquam Honorius[b] Imp. Româ relictâ Ravennæ ſedem Imperii conſtituit, confeſtim urbs iſta maximis cum ædificiorum privatorum publicorumque operibus, tum non mediocrib9 civium atque incolarum opibus crevit. Eandem quoque Valentinianus III. pro Imperii ſede habuit, cauſſamque dixit, ut omni munimentorum & ornamentorum genere inſigniretur. Idem de Conſtantinopoli, Praga, Lutetia, aliiſque urbibus, in quibus Regia aliqua, dici poſſet. Quod de Regis ſedibus dictum eſt, id ad ſuprema dicaſteria, ubi negotia & controverſiæ privatorum definiuntur,

a In vita Gregorii.
b Sigon. lib 12. Imper. occid. libr. 15. Regni Ital.

finiuntur,trahi potest: quo ob caussarum forensium multitudinem quamplurimi confluant necesse est:quæ res immanem pecuniæ vim immensasque opes urbibus accumulat. Argumento est Jurisconsultorum,procuratorum, scribarumq; infinitus numerus,qui ex tenui re ad amplissimas opes perveniunt;quique magnificentissimas passim comparant & ædificát ædes,latifundiaque & amplissima patrimonia successorib.suis relinquunt. Incredibile dictu esset, omnes qui judiciis Romæ inserviunt enumerare. quot ibi auditores Rotæ?quot clerici cameræ? quot thesaurarii? quot Cameræ auditores? quot Protonotarii Apostolici? quot subdiaconi? quot Secretarii Apostolici? quot correctores Cancellariæ? quot Summistæ? quot abbreviatores? quot minores? quot hostiarii Cancellariæ?quot scriptores Apostolici?quot scriptores brevium?quot procuratores Pœnitentiariæ? quot scriptores Pœnitentiariæ? quot collectores plumbi?quot correctores Pœnitentiariæ?quot sollicitatores? quot correctores Archivi? quot scriptores Archivi? quot secretarii bullarum salariatarum? Quid multis, quot notarii? quot præsides Ripæ? quot cursores? Tale quid de Parlamentis Galliæ,de Tribunali summo Romani Imperii aliisque dici posset. In tantum apud omnes litium sitis crevit. Adde quod nulla sit pactio,nullum testamentum, nullum caput legis,nullum verbum, nulla syllaba, ex qua argumenta verisimilia ad litium propagationem exprimi non valeant, maximo civium malo. Sed hac de re alio me loco[e] dixisse commemini. Urbes quoque ubi frequenter Regni vel Imperii comitia habentur, vel ubi Reges diademate insigniuntur regnique ceremoniis more majorum inaugurantur, in dies celebriores reddi dubium non est.

[e] In Principe cap. 4.

CAPUT XIII.

De Urbibus quas Nobiliorum multitudo incolit.

Urbes quæ à Nobilioribus coluntur, incrementum in dies capere oportet. Quæris qui fiat, quod in Italia magnificentiores urbes, quam multis aliis in Regnis reperiantur: Sed non est difficile quod respondeam. Id enim fit tũ aliis, tum hac præcipue de caussa; quot Italos nobiles, loquor de præ-

de præcipuis, non de mercatoribus, urbes inhabitare non pudet; cum contra multis aliis in locis, Nobilium plerique rusticentur, id eſt, ruri vel in prædiis quæ poſſident, hæreant; eoſq; qui in urbibus habitant pro ignobilibus cenſeant. Nobiles qui in luce hominum verſantur, dignitatis ſuæ etjam in ædium ſplendore, memores eſſe neceſſe eſt. Inde ædificandi ſtudium, ex quo urbium magnificentia. Quam bene vero illud fiat, penes prudentiores judicium eſto. Nam ingenue fateor, me non intelligere, quare hodie ignobilius ſit urbes bene munitas incolere, quam olim, quo tempore ſplendidiſſimi equites conſulatum etjam in præcipuis Galliæ & Germaniæ urbibus gerebant: aut, quare nobilius ſit, caſæ alicui ruſticæ imperare, quam urbi ſæpenumero Metropolitanæ. Nam ſi urbes à nobilibus incolerentur, non dubium eſt, eos præcipuam magiſtratus partem facturos. Neque vero metuenda illis eſt potius generoſi ſanguinis ſui cum plebejo, & ordinum neſcio quæ confuſio, quam vel antiquis Romanis, vel hodie iis quos diximꝰ. Scribit Uberius Folietta, quod ſtupendum eſt, & fere incredibile, Neapoli pluſquam ſeptingentos cives eſſe, vicorum, caſtellorum, urbium etjam dominatu conſpicuos; in quibus plꝰ centum Principes, Duces, Marchiones, Comites, magnuſque eorum numerus ſit, quorum annua vectigalia quindena aureorum millia excedant: nonnullorum etjam ad quinquaginta, aut eo etiam amplius perveniant: ut vere dici poſſit; majorem propè eſſe in illa urbe feuda obtinentium, dominantiumque, quam in multis aliis, opificum & ſellulariorum numerum. Alexander Magnus urbes plus ſeptuaginta in ſolo Barbarico ædificavit; ſed illud ſemper, vel inprimis advertit, ut à præcipuis & potentioribus illorum regionū incolis habitarentur. Quod idem obſervaſſe ſcribunt Tigranem in urbe, quam inter Iberiam & Zeugma, quod juxta Euphratem eſt, condidit.

CAPUT XIV.

De urbibus quæ negotiationibus, & mercimoniis claræ ſunt.

MErcatores quum ſine fraude pecuniam faciunt, ingentes urbi utilitates adferre perſpicuum eſt: per illos

enim quæ civibus superflua, exportantur, & quæ nobis aliunde necessaria sunt, quæve apud nos non inveniuntur, ad usum cottidianum importantur. Sed & mercatorum peritia & opibus multa sæpe non levia pericula propulsari contigit. Hinc omnes commerciis nobiles urbes plerumque magnas esse videmus. Venetiis patrii moris est, ut pars multo maxima civium, tertia fere diei hora, unum in locum coëat velut ad Emporium negotiorum caussa. *Rivo alto* est loco nomen, ut alibi *Borsæ*, ubi sine fremitu, sine altercatione, tamquam nutu, non verbis, inter se paciscuntur, *cunctaq; orbis verius, quam urbis negotia incredibili silentio transigunt*, ut ait Sabellicus.a Nullum est Emporium interni maris quod à Gaditano freto inter Aphricam & Europam, in Syriam & Ægyptum ad ortum excurrit, ad Septentrionem vero & Boream in Bosphorum & Mæotidem paludem: nullus tam ignotus littoris recessus, quem Venetæ triremes ex antiquo civitatis instituto, non negotiorum caussa frequentent. Testatur idem Sabellicus, naves Venetiis haberi, quę statis anni temporibus ad merces, ex remotissimis locis convehendas publice instruuntur; Ex his quatuor longę ex Syria, atque ex Ægypto totidem, aromata, sericum, uniones deferunt. Ex Lybia tres, aurum, gemmas & mancipia: duæ ex interna Gallici maris ora, pretiosissimum vellus & Hispanicum sericum, omnium nobilissimum: quatuor a Tanai & Mæotide palude, salsamenta, tapetas & smaragdos: quatuor ex Gallici Oceani Emporiis, lanas, aurum, aulæa & Flandrensis panni vim ingentem. Hæc cum ita sint, quid mirum, si civitas ista ad tantam magnitudinem excreverit. Non dissimilia de Genua, Neapoli, Antverpia, Amstelrodamo, Lubeca aliisque multis maritimis urbibus dici potest; quam multa ibi quoque, quam magna, quam multiplicia mercimoniorum varietas, sive in maritima, sive in terrestria commercia, mercatorumque multitudinem intueare? Maritimorum quidem commerciorum, testis est portus in qualibet urbium illarum, onerariis, & omnis generis navigiis perpetuo refertus. Amplissimæ sunt societates in vectigalibus publicis exercendis, & in cæteris omnibus rebus, in quibus mercatorum laborat industria, occupatæ. Ex hoc fonte nascitur, quod videmus

Emporia,

a lib. 6.c.1.

Emporia, & annuos mercatus urbes nobilitare. Lugdunum Galliæ urbs, ob celeberrimum emporium, & olim & hodie clarum. Ormus, emporium felicis Arabiæ, ad tantam pervenit magnitudinem, ut dici proverbio soleat, *Si mundus annulus sit, Ormum gemmam fore*. Similiter *Francofurtum* ad Mœnum indies amplius & magnificentius ob duos illos annuos mercatus, fieri videmus. Ceterum quæ urbs commercia ad se trahere cogitat, in id incumbat necesse est, ut magna cura privilegia mercatoribus, etjam extraneis, præcipue nundinarum tẽpore, conserventur, ut possit securè & ipsis & mercibus esse accessus, mansio & recessus. Sunt mercatores tempore emporii sub fide singulari & protectione principum, vel illius Reipub. quæ nundinas indulget. Jurisdictio quoque mercatoribus, quod nec jure improbatur, summarie potissimum, & de plano administrari debet, & bona fide conservari; providendumque ne vis illis fiat: Item, ut libris eorum fides habeatur ad certam summam, observatis circumstantiis, rationabili suspicione destitutis. b[Card. de rer. Variet. lib. 1. c. 4.

CAPUT XV.

De urbibus in quibus opificum omnis generis magna est copia.

QUamvis apud priscos Romanos, Lacones, Corinthios, Thraces, aliosque nonnullos populos, opifices manuarii in pretio non fuerint, quo plures militiæ studerent, non ideo sequitur etiam opificia urbibus non summopere esse utilia; fateor, si mechanicæ artes cum liberalibus conferantur, *sordidas* eas dici posse, sed non idcirco opifices ab urbe pellendi; quia viliores. Nec populi illi dum peregrinis lucrum indulserunt, opes suas interim valdè auxerunt; & docet usus, opificibus manuariis nihil utilius esse: quod intellexit jampridem Alexander Imp. qui omnium fere opificiorum corpora Romæ constituit, iisque immunitates tribuit, ut necessariam operam Reip. præberent. Massiliensium a legibus nemo in civium numerum recipiebatur, qui artem nullam, qua se sustentaret, calleret Scribit Diodorus b ex septem tribubus Indorum quartum locum opifices tenere, quorum pars armis, pars rusticis instrumentis, alii aliis machinis utilibus fabricandis va- a Val. Max. lib. 2. cap. 1. b lib. 2. c. 10.

cant: si non solum immunes à tributo sint, sed frumentum etjam ex Regia percipiunt. Ex Amasis Regis instituto, non solum cogebatur unusquisque destinato magistratui, quo se artificio tueretur palam facere; sed etjam ex Graecia & Asia magnis praemiis manuarii isti evocabantur. Legem quinetjam, auctore Solone, Athenis fuisse proditu est, ut puberes omnes artibus [c] addiscendis vacarent, quod ista fiebat ratione: proponebantur iis publice singularum artium instrumenta, & quo quisque instrumento delectaretur, ea in arte instituebatur, ut naturam secutus tanto evaderet praestantior. Jacobum primum Scotorum Regem scribunt [d] ex vicinis regionibus omnis generis artifices manuarios magnis propositis praemiis accersendos curasse, ut Scoti ab iis educerentur. intelligebat vir prudens, quantum utilitatis opificia secum trahant. Mediolani tam multa sunt tamque diversa artificum genera, ut inde vulgi sit natum proverbium: *Qui Italiam reficere totam vult, is Mediolanum destruere debet*, ut tot opificum collegia per totã Italiam spargantur. Ceterum prudentes magistratus in id semper incubuerunt sedulo, ut urbes, quibus praesidebant, si non pluribus, uno saltem opificii genere ceteros populos antecellerent, ut hac ratione eos ad se pertraherent. Damasceni armis fabricandis excellunt: Florentini pannis subtilioribus: Arelatenses tapetibus; Genuenses Holosericis: Mediolanenses telis aureis; Veneti purpurà: Angli omnis generis pannis; quorum tanta ibi copia, ut ducenta millia laneorum praeter alias una Antverpia quotannis Londino accipiat. Neapolitani tibialibus holosericis, Mantuani laneis, Cameracenses telis, alii aliis rebus eminent. Ad summam. Caput hoc Attica illa sententia concludendum, *ut quisq. plurimas in civitate artes exercet, ita utilissimus quoq. existimatur.* Nam non modo simul vivendi gratia civilis haec societas instituta est, sed, quod initio dicebamus, bene ac commodius agendi. Proinde quicunque plus confert utilitatis, ille majore benevolentia ac gratia dignus est. Verum magistratus hic cura erit, ut opera & opificia sine ulla fraude, dolo, vel fuco perficiantnr solida, juxta opificii cujusque leges. Quod ut melius fiat, inspectores cuilibet collegio praeficientur, qui opera examinent. Cavendum quoque,

c Plutar. in Solone.

d Buchan. lib. 10.

que, ne prætextu societatum, opificiorum Monopolia, vel factiones aut conjurationes obtegantur.

CAPUT XVI.

De urbibus quæ ius civitatis facile peregrinis & advenis tribuunt; civibusq. privilegia varia largiuntur, & conservant.

NIhil, meo quidem judicio, iis magistratibus ineptius, qui jus civitatis, paucis communicandum, idq; magna pecunia censent. *Illud verò*, ait Tullius [a], *sine dubitatione maxime nostrum fundavit Imperium, & populi Romani nomen auxit, quod Princeps ille creator urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere: cuius auctoritate & exemplo nunquam est intermissa à maioribus nostris largitio & communicatio civitatis.* Quod ad urbem usque à Gallis captam duravit; postea quotquot erant alicujus oppidi cives qui Romam venirent, quamquam Romæ domicilium nullum haberent, eodem quo cives Romani loco habebantur; si domicilium etjam transtulerant, cives erant. Memini me alibi [b] exemplum Claudii Cæsaris adducere, qui multas Barbaricas gentes civitate donavit; eo quod diceret, nihil magis Lacedæmoniis & Atheniensibus exitio fuisse, quam quod tam difficulter peregrinis jus civitatis communicarent,

Dumq. offers victis proprii consortia iuris,
Vrbem fecisti, quod prius orbis, erat.

Byzantini cum lex esset, ne quis admitteretur ad jus civitatis, qui non esset parente utroq; cive natus [c], sanxerunt quicumque esset solvendo libras triginta, eum civem fore. Anno Christi 1342. Venetiis præcedente terræmotu nova vis pestilentiæ inguinariæ adeo lethaliter sęviit, ut ex omni langventium numero vix centesimus quisque evaserit: tunc Veneti in tam fœda urbis vastitate Edictum [d] proposuerunt, Ut quicumque Venetias cum conjuge & liberis peterent, perseverarentque biennio in novo incolatu, cives essent. Et ne longius abeamus, exemplum à maximis qui hodie sunt urbibus sumamus quid facilius quam aut Lutetiæ, aut Mediolani, aut Olisipone, aut simili urbe jus civitatis adipisci? Ad civium privilegia & immunitates venio. Faciunt privilegia civitatibus con-

[a] In Balbi defensione.
[b] In Principe cap. 34.
[c] Aristot. in OEcon.
[d] Sabell. 2. Ennead. 9.

concessa, urbes, quanto majora sunt, tanto populosiores. Omnes naturâ eo trahuntur, ubi magnis beneficiis potiri sperant. Quoties, quæso, vidimus auctis privilegiis, auctam quoque paullo pòst ipsam urbem? *Sed civitas* (inquit ille) *incredibile memoratu est, adepta libertate quantum brevi creverit!* Imperator Antoninus Pius, urbes divisit in maximas, majores, & minores, pro ratione privilegiorum majorum vel minorum, quib° fruebantur. *Decet* autem inquit Modestinus, [e] *maximo quidem numero* (immunitatum) *uti metropoles gentium: secundo autem quæ habent vel forum caussarũ, vel loca iudiciorum: tertio reliquas.* Unde liquet maximas & præstantiores metropoles dictas; Majores, ubi tribunalia judicum; Minores, ceteras. Augustus [f] adeo privilegia conservanda civibus censuit, ut publice aliquando professus sit, se facilius passurum fisco aliquid detrahi, quã privilegiis Romanorum. Porro quia in urbibus vel mediocribus fieri non potest, ut omnes incolæ cives sint, ad securitatem civitatis non parum faciet, notum esse magistratui, qui & quot in urbe alienigenæ vel hospites, ad mala præcavenda, quæ multis urbibus infausta fuisse animadvertimus. Nam si numerus advenarum, civium excedat numerum, vel si hospites ex iis sint quib° cum nobis bellum, urbs malis hisce humoribus purganda erit, ita tamen ut cum exteris amice semper agamus. *Advenam*, inquit Deus, [g] *nòn contristabis, nec affliges eum.* & alibi [h]: *Si habitaverit advena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: sed sit inter vos, quasi indigena, ut ipsum quasi vosmetipsos diligatis.* An autem tempore famis peregrini expellendi sint, audiamus Ambrosium [i]; *Feræ feras, inquit, non expellunt, cur homo expellit hominem? Exuit hominem qui cibum egenti negat. præterea peregrini nobis victum inferre consveverunt; hos nolumus necessitatis tempore, qui omni vita nos paverunt. Nostra interdum familia, pleriq; etiam nostri apud illos sunt, reddamus quod accepimus, frumentum ab extraneis suscipis nec impertis? Quid illum eiicis qui te pavit? Nec canes cum in mensa sedemus mori sinimus.*

e l. 6. par. 2. de excusat. tutor. vel curat.

f Sueton.

g Exod. 22.
h Levit. 19.

i 3. De off. 7.

CAPUT XVII.

De urbibus quæ matrimoniis favent.

Si

SI civitas est civium unum, in locum legitime coëuntium consociatio, sequitur eam propter hominum mortalitatem sine liberorum procreatione ac propagatione stare non posse. Atq; hoc nimirum illud est, quod Pomponius a indicat, *In liberorum procreatione versari utilitatem publicam*: Eam autem esse ejusmodi, in qua civitatis status consistat, utpote quæ ad *replendam liberis civitatem*, id est, ad eam consociationem, quæ civitatem constituit, tuendam pertineat. Et quia ad existimationem quoque; & honorem civitatis spectat, turpes soboles non innasci, quæ quamdiu exstabunt, suam infamiam civitati quodammodo exprobrent: Ideo magistratus est animadvertere, ne alia conjunctio, quam ea quæ est in nuptiis, iisque honestè & legitimè contractis in civitatem recipiatur. Non minor Romanis matrimoniorum cura fuit, quam aliorum gravissimorum negotiorum, tum ut dixi, ad amplificandam civitatem, tum ad familiarum dignitatem conservandã; atque id leges testantur censorumque diligens prudentia. Q. Metellus Numidius Censor, postque eum Julius Cæsar & subinde D. Augustus, aliique, liberorum gignendorum & sobolis causa, de maritandis ordinibus leges tulerunt, ut eos ad sobolem procreandam pecuniis & immunitatibus invitarent, vacatione munerum, jure trium liberorum & libertate. Furius Camill. b cum censuram ageret, ut exhaustæ civitati, propter assiduas bellorum clades, cives suppeterent, legem de maritandis Ordinibus tulit, qua inter cetera pœna coercuit eos, qui viduarum nuptias, quarum viri bello ceciderant, devitabant: eos vero qui ad senectutem cælibes pervenerant, ærario reddidit. c Fuerunt & leges Julia & Papia, quæ ex aliorum testamentis cælibes capere d prohibeant, & puniebant cælibatum & orbitatem filiorum. Quantum vero ad curam matrimoniorum, quæ respicit publicam utilitatem, potestas publica in his remansit, inter orphanas maximè personas, sed conservatis juribus paternis & maternis, quoad conjunctionem, juxta Theodosii & Honorii e Constitutionem.

a l. 1. Solut. matrim.

b Plutarch. in Camillo.

c Valer. lib. 2. cap. 4.

d l. 1. & 2. C. de infirm. pœn. cælib. & orb.

e l. 20. C. de rupt.

CAPUT XVIII.

De urbibus in quibus Asyla.

PRimus Cadmus cum Thebas conderet, inter Græcos Asylum aperuisse fertur, ad quod fugientes sine discrimine servi aut liberi ab omni pœna tuti erant; post quod in Rhethæo litore Ajacis fuit Asylum, [a] in Sigæo Achillis, quorum exemplo Romulus suum aperuit ad lucum opacum & vallem inter Capitolium & arcem, ut hac ratione urbem redderet populosam.

a Dionys. Halic. lib. 2.

[b] Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

b Ovid. Fastor. 3.

Asyla igitur loca sunt, in quibus vel divino numine, vel Principum majestate, homines ab externa vi defenduntur. Qui capti bello ad Imperatorum Regumque statuas confugissent, velut ad asylum, nexu solvebantur, & immunes erant. De Dougardo [c] quodam Scotorum rege legimus eum loca omnia Christo sacra per universas Scotiæ regiones, asyla effecisse, & ad ea confugientes, servos fugitivos, liberos, & cuiusvis criminis reos, ne judicium subire publica cogerentur auctoritate, dum illic se continerent, Regio cavisse edicto. Sed quæri hic video, an Asyla quæ non modo insidias timentibus, sed quibus vis sontibus etjam majestatis reis patent, toleranda sint. Tiberius sanè Cæsar, [d] cum propter Asylorum privilegia multa facinora magnâ licentiâ admitterentur, eorum immunitates ne impunita essent crimina, abrogavit & inolitum eorum morem antiquavit. Ante eum Augustus Dianæ Ephesiæ templum, ad quod confugientes noxii, mancipio solvebantur, eo privilegio spoliavit, ne immunitas ista facinoribus caussam præberet Et ut ad nostra tempora veniam, scribit Polydorus, [e] Henricum VII. Anglorum Regem cum assiduis rebellium insidiis regnum turbaretur, ut improbos coerceret, qui conspiratione non succedente in diversa asyla se recipiebant, asyla destruxisse. Deus ipse opt. max. de Asylis ita statuit [f]: *Si quis per insidias occiderit proximum suum, eum etiam per vim ab altari meo avelles, ut moriatur.* Hisce sanè non obstantibus, si quis existimet casus dari posse, quibus asyla permitti debeant; id tamen sine discrimine fieri non debere concedat, necesse est, ut saltem abusus tollatur ejusmodi immunitatis, ne, quod favore majestatis divinæ vel humanæ introductum est, in ejus odium

c Boëth. lib. 18.

d Sueton. in Tiberio.

e libr. 9. de Invét. c. 12.

f Exod. 21.

odium convertatur. Asyla eorum caussa introducta videntur, qui non sponte deliquerunt, sed vel casu, vel se defendendo. Evasio autem illa erat ad discernendum: nam pœna dignus esset, non autem ut liberaretur à pœna, si per odium vel insidias occidisset. Blasphemi itaq;, virginum raptores, homicidæ animi deliberati, sacrilegi, rei majestatis divinæ, sed & humanæ ab hoc privilegio excludendi sunt. Non enim meretur beneficio legis frui, qui contra ejus auctoritate aliquid committit. [g] In Gallia solent ad Ecclesias confugientes capi, salvo jure reintegrandi, nempe ut post captione cognoscatur, an immunitate Ecclesiæ gaudere possit, quo casu ad Ecclesiá remittitur: φ si per sententiá judicatum fuerit, captum eo privilegio indignũ videri, retinetúr, & observato juris tramite, condenatur.

g l.37. fin. de minor. ann. vigintiqu.

CAPUT XIX.

De crebis spectaculis, mißilibus, publicis conviviis, aliisque ludis.

IUdæos reperio, Græcos & Romanos variis, iisque crebris spectaculorum generibus populum undequaque in urbes traxisse. Scribit Josephus [a] Herodem Judæorum Regem ludos Olympios non satis respondentes suæ celebritati propter inopiam, de suo adjuvisse, constitutis annuis reditibus, quo splendidius & sacrificia fierent & alia quæ ad decorandum tam frequentem conventum pertinerent. Græci adeo ludorum Olympiorum studiosi fuerunt, ut nec excisa quidem à Romanis Corintho omissi sint, sed eorum negotium Sicyonis commissum. C. Julius Cæsar [b] spectacula gladiatorum, venationes & ludos, pompas atque convivia profusissimis ait Suetonius [c], sumptibus exhibuit, ut priorum munificentias omnes obliteraret, plebemq; sibi obsequentissimam redderet; Ne sol spectatoribus molestus esset, peripetasmata serica suprà extensa fuerunt; qui panni facti primum ad Barbarorum voluptatem, ab illis ad Romanos & ad [d] muliebres delicias fuerũt importati: Testantur scriptores [e] ad spectacula ab ipso edita *tantũ undiq; confluxisse hominũ, ut pleriq; advenæ aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis positis manerent, ac sæpe præ turba elisi exanimatiq; sint plurimi, & in his Senatores nonnunq̃.* Subsellia ita comta

a Antiqu. libr. 10. c. 9.

b Pausan. in Corinth.

c In vita Cæsar.

d Xiphilin.

e Sueton.

habuere, ut crocum & vinum per singulos cuneos spargerent, illosq; præcipuis odoribus diluerent, ac picturis exornarent; interdum minio ac Chrysocolla arenam circi sternerent, ita ut Adrianus feratur balsama & crocũ per gradus theatri stravisse. Pompejum, ne populum æstus offenderet, etjam aquæ decursum per subsellia duxisse scribunt. Sub Severo certamen mulierum institutum fuisse legimus, in quo tanta hominum convenerat multitudo, ut mirarentur omnes, quomodo solos athletas stadium caperet. Isto in certamine, ut hoc obiter dicam, cum mulieres crudelissimè pugnassent, essentq; ob eam caussam ceteras nobilissimas fœminas conviciis insectatæ, cautum in posterum, ne qua mulier gladiatorio munere fungeretur. Sub eodem principe [f] propter victorias quas reportaverat, varia edita spectacula, in quibus apri sexaginta Plautiani invicem certaverunt, cæsæq; sunt aliæ permultæ bestiæ, atque inprimis Elephas & Corocota, animal Indicum, Romæ antea nunquam visum. Receptaculum instar navis in theatro ædificatum erat, ad continendas feras quadragintas, easdemque simul omnes reddendas; inter quas leænæ erant, ursi, pantheræ, struthiones, Onagri, bissones, (genus boum ferum aspectu) aliaq; complura animalia; septingentæ quinetjam aliæ feræ mansvetæque bestiæ, concurrere, & postea confodi visæ sunt; occisis namque singulis diebus centum, pro numero dierum festorum septem septingentæ fuerunt interemptæ. De Trajano quinetjam legimus, eum quo tempore complures legationes à Barbaris, præcipue ab Indis venissent, spectacula edidisse dierum centum viginti trium, in quibus interdum mille cæsæ sint feræ, mansuetæq; bestiæ, interdum ad decem millia, & athletarum totidem inter se concertarint. Apparet ex his non mirum esse si sæpe Romam magnus fieret concursus; tum vel maximè [g], quod non raro per totam Italiam præcones præcurrerent convocatum quosvis ad *ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset.* Verum quicquid sit, rectè Horatius [h]:

f Dio in Severo.

g Sueton. in Claud.

h lib. 2. Epistol. 1.

Si foret in terris rideret Democritus, seu
Diversum confuga genus, panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret ora.

Spectaret

Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Vt sibi præbente mimo spectacula plura,
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo. nam quæ pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Thuscum.
Tanto cum strepitu ludi spectantur & artes;
Divitiæq; peregrinæ; quibus oblitus actor
Cum stetit in scena concurrit dextera lævæ.
Dixit adhuc aliquid? nil sanè, quid placet ergo
Lana Tarentino violas imitata veneno?

Horatio clarius de his spectaculis loquutus Seneca,[i] qui nihil iis perniciosius reperiri posse existimat: quippe *Turba*, inquit, *omnis utiq; animo gravis & noxia; nec enim quos extulisti mores vmquam referes: nemo non rubiginis aliquid aut imprimit aut nescientibus allinit. Itaq; nihil omnino damnosius quam spectaculis assidere, quando per voluptatem facilius ac proclivius obrepant vitia. Quid me* (subjungit) *existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imò vero crudelior & inhumanior; quia inter homines fui.* Hæc ille. At nonne, inquiet aliquis, conceditur mortalibus quies, ut alacriores postmodum ad labores redeant; sic enim & somnus homini datus, ut spiritibus refectis ad divina opera habilior vegetiorque reddatur. In negotio vero lusus veluti laborum condimentum admittitur. Hæc ita se habent, sed de illis ludis intelligenda, unde nihil mali addiscimus, & quæ exiguo durant tempore: spectacula hæc quæ sæpius redibant multosque durabant dies, otii perniciosi plena erant, & plane talia, ut à Seneca describuntur. Otio languescit industria, hebescit ingenium, vitia crescunt, scelera prorumpunt, animi status opprimitur & flagitiorum omnium bellum inexpiabile conciliatur. Sed pergo. Solebant quinetjam Romani missilibus, congiariis & publicis conviviis populum pascere, & in urbem trahere. *Sparsa*, inquit Tertullianus,[k] *populo missilia omnium rerum per omnes dies singula cottidie millia, avium cuiusque generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atq; etiam mansueta animalia, novissimè insulæ agri.* De tesseris infra dicemus. Congiarium vas

i Epist. 7.

k in Nerone.

cauponarium, congii unius capax: inde (docti asserunt) congiarium pro munere seu sportula sumi cœpit, quæ dabatur diurni cibi nomine clientibus, comitibus asseclis. Augustus congiarium sæpius dedit tricenos & quadragenos, nonnunquam singulis quinquagenos & ducentos nūmos, & ne parvos quidem pueros præteriit. Nero [f] ut alios prætermittam, plebi cōgiarium quadragenos nummos dedit. Ad epulas publicas quod attinet, fuerunt illæ non apud Romanos tantum post triumphos, post sacrificia vel spectacula, sed apud Lacedæmones etjam & Athenienses in Prytanæo, Panathenæis & Thesmophoriis usitata. Scribit Xiphilinus M. Antonium Imp. ex Aphrica domum redeuntem, octo aureos in cœnam viritim dedisse, quantam summam antea nunquam acceperant Romani. Verum de his & aliis, quæ ad magnitudinem Romanam spectant, nihil doctius Clarissimi Lipsii scriptis.

f Sueton. & Xiphil. in vita Augusti & Neron.

CAPUT XX.

De Vrbibus quæ ærario student.

Quemadmodum corpus physicum sine nervis & artubus; sic nec Respub. quæ est corpus civile, sine pecunia consistere potest. Bona enim *& pecunias nervos civitatis esse* testatur Ulpianus [a]. quod idem Mutianus dicere solebat. Et Leo Imp. [b] *pecuniarum vim Remp. stabilire* tradit. *Impoßibile est*, ait Justinianus, *ut tributus non illatus Resp. conservetur. Militares namque copiæ aßignato sibi salario, inde percepto, hostibus resistunt, & collatores ab hostium incursionibus truculentiaque vindicant: deniq; agros atq; civitates, à latronum, alioq; modo incompositam vitam sectantium, vi & irruptionibus, agendis excubiis, defendunt. Ex illis etiam reliquæ cohortes ea quæ ipsis attributa sunt, accipiunt, muri atq; urbes instaurantur, & similia in bonum civium fiunt, ut quæ ab illis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos impendātur. Nobis vero præter istarum rerum curam, habere nihil, contingit.* Hæc Justinianus. Quare cum Nero [c] initio sui principatus omne genus vectigalium populo adimere vellet, prudentiores id (laudata nihilominus principis clementia) vetuerunt, [d] quod dicerent id publicæ obfuturum utilitati. & quamvis rata habita fuerint generaliter omnia, quæ à Sylla bellis civilibus Romæ vel in provinciis gesta fuissent, unum tamen hoc illius sena-

a l. 1. par. in caussa, de quæst.
b Nov. 149. cap. 2.
c Sueton.
d Tacit. lib. 13.

senatusconsultum reprehésum, quo vectigalia populo remittebantur; decretumq; ut quibus ille de capite demsisset, ii pecunias in ærarium referrent. Censuit enim senatus [e] id, nec ei quidem permissum, cui omnia concesserat, à populo partarũ quæsitarumq; rerum, quibus Resp. pace & bello salva est, summas imminuere. Civitati duo à civibus debentur; *opera & pecunia*: opera versatur in honoribus gerendis, & muneribus publicis obeundis. Pro officio & pietate erga patriam debentur vectigalia, tributa & si quæ sunt aliæ publicæ pensitationes, velut ex contractu, pœnæ maleficiorum, quæ ad vindictam criminis constitutæ sunt. Hæ enim non privatis, sed Reipubl. exsolvuntur, tamquam contractis maleficiis, cum Rep. contractum sit. Nam & maleficia contrahi dicuntur. Verum duo hic tamquam scopulos vitanda moneo: unum, ut novarum urbium conditores, civibus quos ad se pellicere conantur, primis annis graves non sint, quin potius iis omnis generis tributa & vectigalia remittant, ut majori concursu adveniant, & magnificentius ædificare possint: Alterum ut etjam in urbibus antiquioribus vectigalia, & tributa tam ordinaria quam extraordinaria moderata sint: & extraordinaria cessante necessitate, remittantur, ne, quæ ex lachrimis & gemitu exinanitorum subditorum extorta, ad magistratus voluptates cõvertantur. Si quæ etjam vectigalia nova ab antecessoribus imposita reperiuntur, ea remittere boni principis signum est. Imp. Pertinax [f] vectigalia omnia quæ ad exquirendas pecunias tyranni excogitaverant penitus remisit. Reddũt nimiæ istæ exactiones urbes provinciasq; desertas, subditos miseros, efferatos, desperatosq;: unde rebelliones & bella civilia. *Nihil aliud* ait Cicero, [g] *nisi imperata nova tributa audivimus, possessiones omnium venditas, civitatum gemitus, ploratus, monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cuius immanis.* Hæc ideò à me dicuntur, ut Principes ab iis sibi diligenter caveant, qui novas subinde à subditis extorquendæ vel conquirendæ pecuniæ strophas excogitant. quibus quorundam adeo invigilat malitia, ut potius ad opprimendũ quam ad relevandum populũ nati videantur; quanto satius esset in id summo studio eniti, ut ærarium bonis artib⁹ partũ, conservaretur potius, q̃ novis tributis augeretur?

[e] Plutarch.

[f] Herod.

[g] In Epist.

Ne

Ne res tandem eò perveniat, quô olim, ut etjam pro umbra vectigal exigatur. *Quis non miretur*, ait Plinius, [h] *arborem umbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est, iam ad Morinos usque perfecta, ac tributarium etiam detinens solum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant.* Quod si omnimodo necessitate urgente nova imponenda civibus onera, non frumento, non lignis, non carbonibus, non telæ communi, non denique iis rebus imponenda, quibus pauperes vitam necessario sustinet, & quibus carere non possunt; sed iis potius quæ ad voluptatem & ad luxum parantur: veluti, sericis, aureis, argenteisque telis ac pannis exoticis, gemmis, vinis, aromatibus & aliis, quibus inopes carere possunt, ut Marcus & Commodus rescripserunt [i]. Porro solebant olim Imperatores, Principes ac populi, qui novas statuebant urbes, præter agros vicinos quos privatis, & præter loca quæ templis, foris, theatrisque constituendis distribuebant, possessiones quoque & agros, pascuaque publica omnibus civibus æque communiter tuendæ & conservandæ Reip. caussa assignare, quæ privatis locari consveverant, ut ex eorum canone, ut hodie loquimur, pecuniæ in ærarium publicum cogerentur. Romulus agrum Romanum in tres partes divisit; quarum unam sacris faciendis; secundam Reipubl. oneribus subeundis; postremam, civibus æqualiter assignavit.

h lib. 12. Nat. hist.

i l. interdũ. par 6. de public. vectig.

CAPUT XXI.

De urbibus quæ annonæ prudenter curam gerunt.

ANnonam curare quanti apud Romanos fuerit, vel ex unica divi Aureliani Epistola conjicere licet, qui cum panis Romæ ponderi, unciam unam addidisset de Ægyptio vectigali, ad præfectum annonæ urbis ita scripsit. [a] *Inter cætera quibus Dis faventibus Romanam Remp. iuvimus, nihil mihi est magnificentius, quam quod additamento unciæ, omne annonarum urbicum genus iuvi, quod ut esset perpetuum, navicularios Niliacos apud Ægyptum novos, & Romæ amnicos posui. Tyberinas exstruxi ripas: vadum alvei tumentis, effodi: Diis & perennitati vota constitui; almam Cererem consecravi. Nunc tuum est officium, Arabiane iucundissime, elaborare ne meæ dispositiones in irritum veniant; neque enim*

a Flau. Vopisc. in Aurel.

enim populo Rom. saturo quicquam potest esse lætius. Hæc ille. Parũ admodum leges & sanctiones, parum propugnacula, parum milites juverint, si populus inediâ laboret. Populum famelicum non arma, non magistratus, non leges, non pudor coercere valet. Idcirco in omnibus bene constitutis Rebuspublic. magna cura semper adhibita, ut populus omni genere victus, sed frumento præcipue abundaret: ad quam rem præfecti annonæ creati, quos Veneti hodie *provisores* vocant. Hi suo tempore advehendum frumentum curant, vili pretio, ut eodẽ valore civibus, ubi opus, vendatur: dant operam, ut frumenta locis idoneis posita conserventur; ne ex urbe asportentur, nisi in magna abundantia: hi pretia rebus imponunt, ne ad voluntatem venditorũ carè nimis distrahantur: hi deniq; in Dardanarios animadvertunt, qui annonam in sua horrea avertunt, mẽsuras & pondera falsant, legibus constituta pretia excedunt, undiq; coempta frumenta supprimunt *ad annonæ incendium*, ait Quintilian⁹; id est, ut annonæ augeatur pretium, ingravescatque caritas. Erat autem *Annonæ Curatorum* munus olim perquam honorificum. Nam suos habebant apparitores [b], ex ligno vel plumbo, quibus mensura assignata erat, quantum cuilibet frumenti, ex publicis horreis dari debebat, distribuebãt. L. Minutio [c] quod magna cura, fame populum levasset, extra portam Trigeminam, stipe à populo collata, statua posita est. *Si ad hanc mensuram*, inquit Cassiodorus, [d] *censendæ sunt dignitates, ut tanto quis honorabilior habeatur, quanto civib⁹ profuisse cognoscitur, is certè debet esse gloriosus, qui ad copiam Rom. Pop. probatur electus. Tui siquidem studii est, ut sacratissimæ urbi præparetur annona, ubiq; redundet panis copia, & tam magnus populus, tamquam una mensa satietur. Per officinas pistorum, ciborumq; discurris, pensum & munditiam panis exigis, nec vile iudicas esse, unde possit te Roma laudare. Et, ne quod agis, aliquid putetur extremum, carpentum præfecti urbi mixta glorificatione conscendis: tu illi in spectaculis coniunctissimus inveniris, ut plebs, quã industria tua satias, in sui reverentiã, te honoratum esse cognoscat. Nam si querela panis, ut assolet, concitetur; tu promissor ubertatis, seditiones civicas, momentanea satisfactione dissolvis, & per te prospicitur, ne quid à populis conquerentibus excedatur. Non immerito Pompeius fertur copiæ quantitate provisa usque*

b l. 1. C. de apparit. præfect. annonæ, lib. 12.

c Plin. 24. 5. Livius 15.

d lib. 6.

ad rerum pervenisse fastigia, & Magni nomen meruisse. Hæc Cassiodorus. Et paulo post. *Considera, inquit, nunc quod non licet aliquid furari de populo: Nam quod in civitatis damnum committitur, silentio non præteritur. Nescit plebs tacere, quando interdum & hoc loquitur, quod à nemine perpetratur. In fraudulentos distringe gladium, panis pondera æquus examinator intẽde, solicitius auro pensetur, unde à Quiritibus vivitur; quia gratior est nobis lætitia faventis populi Romani, quam copia pretiosissimi metalli.* Ceterum in flagellanda annona nihil fraudulentius, nihil iniquius Monopoliis, cum penes unum tantum alicujus rei, vendendi potestas est; vel si inter mercatores conveniat, ut certa pretii taxatione solum vendant, non minori; vel si inter eos conveniat, ne alterius municipiis incolæ frumentum, vinum, vel talia in urbem deferant, donec illi suum magno pretio vendiderint. qua ratione plebs ab aliis viliori pretio quid emere impeditur. Unus tamen est casus, quo licite annona oneratur; si nempe Resp. magnam frugum quantitatem comparaverit in populi gratiam, quæ tamen tota distrahi non potuit. Nam ne publicum frumentum vetustate corrumpatur, possunt compelli cives ut partem frugum, licèt vetustarum emant, ne diligentia, Reip. dispendio sit. Ita enim Valentinianus & Valens caverunt,[f] ut frumenta vetera primum, deinde nova veneant, &, si forte corrupta sint, ut novarum admistione veterum vitiũ corrigatur.

f l. 1. C. de conden. in publ. horr. lib. 11.

CAPUT XXII.

De iis qui diversa oppida in unum contrahunt, vel vicinas urbes diruunt.

SCribit Plutarchus[a] Theseum Athenienses sparsim & vicatim habitantes unum in locum coegisse, omnibus Prytanæis dirutis, unum constituisse, unamq; urbem, Athenas nimirum. Ipse se populo æquavit, legum custodem belliq; arbitrum se fore professus. Diodorus autem Siculus auctor est[b] Eleos diu multis urbib. dispersos in unam deinceps ex omnibus commigrasse, quam tanto concursu amplissimam *Elim* nominarunt, Epaminondas post Leuctricam[c] victoriam, Arcadibus auctor fuit, ut exiguis illis & minime munitis oppidis, quæ habitabant, deletis, unum in locum commodè situm, quem postea habitarunt, convenirent, quæ urbs *Megalopolis* voca-

a in vita Thesei.

b lib. 11.

c Pausan. in Bœot.

vocata est. Livius[d] prolixè historiam Albanorũ in urbem Romam traductorũ describit, quæ ex Albæ ruinis adeo crevit, ut civium numerus duplicatus, urbi mons Cælius additus fuerit.

Fecisti patriam diversis gentibus unam;
Profuit invitis, te dominante, capi.

Pragenses[e] posterioribus seculis, ut uniti potentiores essent, duas in unam civitatem conjunxere, fossas coplanavere, portas reseravere, & sic urbem duplo majorem potentioremque reddidere. Helvetii ante istos, oppidis suis duodecim incensis, iter capiebant per Romanorum provinciam, sicut olim Cimbri & Teutones,[f] quibus nec cedere eos apparebat, & numero erant usq; ad trecenta millia capitum, ex quibus arma ferebant ad centum nonaginta millia, ut urbes[g] aliquas in meliori solo statuerent, vel augerent; quas magnas futuras fuisse nõ dubium est, nisi Cæsar impedisset illorum conatus. Adelbertus cognomento *Vrsus*, Orientalis Sclavoniæ dominus, profligatis oppressisq; Sclavorum contumacib. ad Avelam Albimq; degentibus, Hollandos, Flandros ac Rheni accolas substituit, quibus urbes & oppida incolenda dedit: horum concursu Brandeburgicus & Havelbergensis Episcopatus[h] plurimum acceperunt incrementi: templorum præterea, decimarumque numerus inde in immensum excrevit. Floretini Fesulas, quas aperta vi capere nunquam potuerant, anno MDX. per inducias occuparunt,[i] atq; oppido everso cives omnes Florentiam traduxerant,[k] & junctis opibus, ex duabus urbibus unã fecerunt; idq; haud dubium Florentinæ urbis, quæ post id maximè floruit, initium potentiæ fuit. Pari ratione ex cineribus Augustæ Rauracorum, Basilea (obscurum tunc oppidum) aucta est.

d lib. 1. decad. 1.
e Dubrav. lib. 33.
f Cæs. in Comm.
g Orosius.
h Helmol. in Slavorum Chronic. c. 89.
i Machiavell. in histor.
k Sigon. 8. Reg. Ital.

CAPUT XXIII.
De Vrbium legibus & Politeia.

Civitatem octo partibus constare philosophi docent[a]: Primam attribuunt matrimoniis, ex quibus liberi homines nascuntur, & sine quibus civitas consistere nequit: secundam agricolis, à quibus alimenta parantur: tertiam mechanicis sine quibus civitas non est sufficiens:[b] quartam forensi multitudini, quæ circa emendum, vendendumque, aut

a Aristot. 2. Polit.
b Idem 4. & 7. Politic.

 circa

circa mercaturam & numulariam artem versatur, unde pecuniam trahimus ad usum cottidianū & ad bellum: quinctjam mercenariis, qui mercede conducti opera civitati, civibusque necessaria, atq; utilia præstant: sextam armis & militibus, quibus magistratui obedire cōpellimur, & externa propulsamus: septimam & præcipuam cultui divino: octavam & summè necessariā, Magistratibus: nam sine politeia & legibus nulla civitas consistere potest. Hactenus satis, ut opinor de septem prioribus capitibus, licet alio ordine diximus: Restaret jam ut de postremo, nempe de magistratibus & legibus, aliquid diceremus, nisi id peculiarem requireret tractatum, quo variæ regendarum urbium, formæ exponerentur, & cuiq; formæ leges adcommodarentur, quod nostri nunc non est instituti, quum urbem legibus bene formatā præsupponamus, & cæteras hic tātūmodo ejus magnitudinis caussas investigemus. Nihilominus ne rem tantā sicco transisse pede videamur, nonnulla addemus, quæ magistratibus sequenda vel vitanda: Cum itaque civitates vel unius regantur nutu vel paucorum, vel plurium, id est, cum earum imperium vel penes principem sit, vel optimates, vel populū; sciendum est, primum caput esse, Nosse speciem Reip. quam quis curandam suscepit. Ineptū esset in Regno leges Aristocraticas vel Democraticas observare, vel cōtra. Non minus quam si quis magno colosso pygmæi, vel pumilioni caput ingentis Polyphemi aptare vellet. Aliter cum iis qui servituti assveti, & aliter cum libero populo agendum. Si urbs, quam fingimus, sub unius sit imperio, ea ego Rectori tenenda censeo, quæ in Principe meo docui. Si status sit popularis, ad libertatem respiciendum: libertatis pars in eo consistit, ut pervices imperent & pareant. Est igitur populare, sumere ad magistratus omnes ex omnibus, ac præesse omnes, unicuiq; & diversa ratione unum omnibus: Populare est, officia illa quæ peritiam nullam requirunt aut arté, sorte interdum distribuere: populare est, ne magistratus, nec sæpe nimis, nec diu nimis ab eodem geratur: populare est, judicare omnes de omnibus, vel ex omnibus, vel de plurimis & maximis & præcipuis: populare est, ut populus superioribus omnibus comitiis consiliisq, intersit, & de iis sententiam ferat: populare deni-

que

que est, diligenter cavere, ne quis inter eos emineat, aut populo nimiũ placere studeat; quæ ratio Ostracismi olim fuit apud Athenienses. Porro in Aristocratico statu, illud summè cavendum, ne ex optimatibus aliquis, vel etjam ex plebe, imperandi avidius emergat, qui plebem in optimates armet, ac se ducem profiteatur; quod facile fit, si plebs & tenuiores sese vel in tolerandis oneribus & tributis confectos, vel æris alieni magnitudine oppressos, vel agrum & totam regionem in paucorum possessionem transisse querantur; aut magistratus & honores maximi, fœdissimis & turpissimis hominibus tribuãtur; virtute præditi autem vel bene de Repub. meriti excludantur; quare ad inflammandam plebem nihil fortius & validius. Aristocratiæ finis paucorum plerumq; divitiæ: Nam divitiis stat, divitiis custodes alit, sumptusq; ceteros necessarios facit, quo populo fidere non cogatur; ut commune hoc sit ei cum tyrannide, subditis non fidere, arma eis adimere, plebem conculcare, ex urbe pellere, & civitatem non rarò habitatoribus vacuam reddere. Populi vero finis est sæpissime nobilitatem temnere, vexare, clam evertere, & palam in exsilium mittere, tamquam adversarios libertatis & plebis hostes. Qua in re prudente rectore opus est, qui æquo jure, utramq; factionem retineat, & inprimis in otiosos diligenter animadvertat, qui Reip. perniciosi sunt; bonorum enim industriæ invident, aliena appetũt, & rebus semper novandis student. Audio Antverpiæ censores costitutos, qui in otiosos animadvertant, eosq; vel ad opificium aliquod cogãt, cui rei variæ destinatæ domus, vel urbe pellant, ut sic cives & advenæ à turpi otio, ad honestas artes & Reip. utiles vocentur; qua re vix quicquam urbibus utilius excogitari potest. Id institutum ab Ægyptiis tractum videtur; apud quos legem fuisse ajunt, qua singuli cives nomina sua magistratui dare cogebantur, & simul indicare, [b] quo genere vitæ uterentur. Qui vel mentiri, vel otiosam degere vitam deprehenderetur, severe castigabatur.

[b] Diodor. Sicul.

CAPUT ULTIMUM.

De urbibus nonnullis quæ ad summam magnitudinem pervenerunt.

 Atque

ATque hæc quidem ea ſunt, quæ de cauſſis magnitudinis urbium, hoc tempore in mentem mihi venerunt. Reſtat ut coronidis loco, urbes nonnullas deſcribam, quæ ſtructuræ amplitudine, ædificiorum magnificentia, populi frequentia, mercaturæ ubertate, diverſarum gentium concurſu, præ ceteris admirabiles maximè fuerunt, vel ſunt. Atque ut à Ninive Aſſyriorum metropoli principium ducam: tantæ eam amplitudinis fuiſſe ſcribunt, ut area tantum quadraginta & octoginta ſtadia habuerit, [a] mœnia centum pedum altitudinem, adeoq; ampla, ut latitudinem ternis plauſtris æquam darent: in mœnibus turres mille & quingentæ, quarum altitudo ducentorum pedum: *Tetrapolis* ideo dicta, quod in quatuor partes divideretur, Ninum, Reſenam, Forum & Calem. Babylon Chaldaicarum gentium caput, in campo jacens ſexaginta paſſuum millia amplexa, muris ducenos pedes altis fuit, quinquagenos latis, in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore, [b] quam noſtra; mirabili opere conſtructa; interfluo Euphrate. Ferunt ei plebis urbanæ DC. millia eſſe: agrum habere totius orbis fertiliſſimum. ejus ôlim vaſtitatem hoc probat argumento Ariſtoteles, [c] quod captam quandoq; ab hoſtibus, tertio demum die, vix perſenſerint, qui in ultima habitabant parte. Memphis [d] quam hodie *Cairum* vocant, vaſto ambitu, tres ingentes urbes complectitur, atque ad triginta millia domorum habet, ita ut de hac urbe ſcribant eam Lutetiam Pariſiorum magnitudine quinquies ſuperare. Peſte graſſante, mortui ibi ſæpe ad viginti millia hominum uno die. In longitudinem ſex milliarium Italicorum ſecundum Nilum protenditur. Latitudinem decem ſtadiorum ſtatuunt. Romam [e] autem, ſcriptores urbium dominam & reginam non ſunt veriti, immo totius orbis caput appellare:

[f] Omnia Romanæ cedant miracula terræ;
Natura hîc poſuit quicquid ubiq; fuit.

Regionibus XIV. olim dividebatur, portas ſuburbanas & urbis in univerſum XXIV. fuiſſe refert Plinius: Livius autem XXXVII. ponit imperio florente: turres circa urbē viſebātur DCCXXXIV. nunc turres CCCLXV. portæ XX. ſuperſunt. Sub Veſpaſiano urbis ambitus fuit XIII. millium & CC. paſſuum, ſeptem complexus montes

a Gen. 10. Diod. 3. Oroſ. 3.
b Plin. 6. 26.
c Polit. 3.
d Bellon. obſervat. lib.
e Andreas Fulvius. Blondus.
f Propert. 3. eleg. 21.

montes. Non desunt qui *Romam totius orbis compendium* dixère, in qua omnes civitates intueri liceat. Romæ æmula Carthago [g] armis, splendore, fortitudine, dignitate; XXII. millia passuum complectebatur, & tota fere mari & lacubus cingebatur. Illic omnia publicorum officiorum instrumenta, illic artium liberalium scholę, illic philosophorum officinæ, cũcta deniq; vel linguarum gymnasia vel morum: illic copiæ militares & regetes militiam, illic honor procosularis; illic deniq; omnia, ut quæ totius Libyæ insularum domina erat. Non minora de Lutetia dici possunt: Templa habet LXVIII. Monasteria XXIV. Xenodochia IX. Sacella XIV. Portas XIV. Pontes V. Suburbia X. tantumq; concursum, ut sæpe quinquies centena millia hominum numerata & sint, & sint amplius. Huc Londinum & Olisipo referri possunt, urbes maximæ & amplissimæ, quæ cum quibusvis, hominum numero, ædificiorum magnificentia, téplorum copia, mercimoniis & amplitudine certare audeant. Quid de urbe Venetiarũ dicã, Italiæ totius ornaméto, quæ in mediis aquis consider: quot in ea tépla, quot monasteria, quot magnificentissima ędificia, quot hominũ millia, in ea recesere posse? ut nõ immerito hoc de tãta urbe Epigrãma circũferatur?

g Sigon. lib. 12. Imper. Occident.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere iura mari:
Nunc mihi Tarpeias, quantumvis Iupiter arces
Obiice, & illa tui mœnia Martis, ait:
Si pelago Tybrin præfers, urbem aspice utranq;
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

De Hispali Bæticæ provinciæ urbe, [h] scribunt eam ambitu magnam, visu pulchram, forma rotundam, templis celebrem, Sacerdotib. excultam, multis equitibus nobilem, civibus plenam, domibus insignem, hortis & fontibus amœnam, mercimoniis divitem, artibus mechanicis adornatam: quid multis? dignam plane illo proverbio; *Hominibus quos Deus amat, Hispali domum largitur & victum*; *Sevilla* vulgo vocatur. Verum habemus nos in Germania, Gallia, Italia, quicquid Hispani scribãt, urbes & ampliores & magnificentiores, & amœniores & populosiores; quarum nonnullas nominabo; nam eas describere nimis foret prolixum: Antverpiam, Amstelrodamum, Bruxel-

h Marin. rerum Hispan.

Bruxellas, Magdeburgum, Augustam Vindelicorum, Noricũ, Uratislaviam, Monacum, Argentinam, Basileam, Florentiam, Genuam, Mediolanum, Neapolim, Lugdunum, Rothomagũ, Tholosam, ut alias innumeras omittam, quas à multis diligẽter descriptas invenies. Unam subjungam Chinæ [i] metropolim, & finem faciam; *Quinsai* vocant: de qua plane incredibilia scribunt. Ajunt enim ambitu centum milliaria continere; põtes habere duodecies mille, eosq; tam altos, ut magnæ naves erecto malo transeant; Lacum intra mœnia triginta circuitu milliaria comprehendere; in medio lacu duas insulas; plateas omnes urbis, lapidibus stratas esse: tria in urbe millia thermarum, familias ad sexcenties mille; in quolibet ponte perpetuo excubias agere decem custodes, Palatium regium decem ambitu suo milliaria complecti. Sed & alia quam plurima de hac urbe scribuntur, quæ fidem superant.

[i] lib. de China. & Paul. Ven. libr. 3.

F I N I S.

Errata. Fol. 1. lin. 15. lege PORSENNÆ. lin. 2. lege Hetruscorum. fol. 25 lin. 1. & fol. 53. lin. 12. lege Septimio. fol. 26 De mirandis Pontium struct. fol. 36. lin. 27. lege aut fol. 37. lin. 4. lege & aggerem. fol. 38. lin. 10. lege Tiberius. fol. 55. lin. 19. lege respectare lin. 14. lege præpotentis.

